

Viro Clarissimo
A. van Goudoever
m. a.

DISQUISITIO

# DE LIBERTATE CIVILI APUD VETERES.




SCRIPSIT

***BARTH. JAC. LINTELO DE GEER,***

LITT. CAND.



TRAJECTI AD RHENUM,

apud *KEMINK* et *FILIUM*,

Typographos.

MDCCCXXXVII.

# PRAEFATIO.

*Opportunitas conscribendi hujus libelli mihi oblata fuit, cum a nobilissimo Philos. Theor. et Litterarum Humaniorum Ordine in Academia Rheno-Trajectina quaestio proposita fuisset haec:* « Ex antiquae politicae « principiis, atque ex ipsa antiquarum civi« tatum historia, effatum explicetur veterum, « quod apud Ciceronem est pro Cluentio « c. 53: Legum omnes servi sumus, ut liberi « esse possimus."

*In hoc certamine, cum praemium reportare mihi haud contigerit, honorifica tamen mentio meo opusculo fuit concessa; Ordo autem et minus tersam Latinitatem et historicae partis omissionem reprehendit. Cum vero deinde auctor mihi esset praeceptor, optime de me meritus, Cl.* HEUSDIUS, *ne has studiorum primitias premerem, ejus consilio non obsequi nefas duxi, imprimis cum illorum etiam virorum auctoritas accessisset, quos nunquam non maxime feci, quosque studiorum fautores semper sum expertus benevolentissimos. Pro viribus igitur orationem et stylum, quem vocant, emendavi ita, ut res ipsas intactas relinquerem, neque in totius disputationis ratione et forma quidquam mutarem: quare etiam historicam partem, ante omissam, nunc non addidi. Hoc unum tamen monitum velim, Wachsmuthii et Hermanni opera de antiquitatibus Graecis nunc demum consulere mihi licuisse.*

*Ceterum tibi, qui haec lecturus es, eadem dicta velim, quae ad Cl. Judices in prooemio dixi. Auctor libelli juvenis est. Illud ergo semper reputes, te juvenile opus tenere, non absolutum illud aut perfectum, sed cui multa desunt, quo multa minus accurate dicta continentur; auctori autem hoc semper gratissimum fore, si probare ipsi contigerit, se non frustra optimorum praeceptorum institutione fuisse usum.*

Deo parere Libertas est

SENECA.

# DISQUISITIONIS CONSPECTUS.

## PROOEMIUM.

### PARS PRIOR.



### SECTIO PRIOR.

*Antiquae Politicae principia, cum ex Philosophorum sententia, tum ex antiquarum civitatum historia, adumbrantur.*



### SECTIO ALTERA.

*Legum fontes, natura, auctoritas ex antiquorum maxime placitis exponuntur.*

DISQUISITIONIS CONSPECTUS.

# PROOËMIUM.

Graeci Romanique ex antiquitatis gentibus nullo non aevo summopere sunt celebrati, quod profecto non imperii magnitudine et hominum numero factum est, verum multo magis cultu et humanitate, ad quam pervenerunt. Sensus enim iis inerat pulchri et boni acerrimus, quo ducti artium et doctrinarum fere omnium auctores evaserunt, et peregerunt facinora, quae posteritas admirari non desinet. Hinc exstitit conjunctionis illud studium, quo antiquae civitates continebantur, isque libertatis amor quo major esse non potuit; sed hinc etiam legum illa veneratio, qua factum, ut mortem saepe vitae praeferrent. Equidem lubenter profiteor, haec in animum meum maximam vim habuisse, nec ullius prope fuisse gentis historiam, quae mihi magis rerum a Graecis et Romanis gestarum commemoratione placuerit, sed illa impri-

mis studii libertatis conjunctio cum summa legum observantia, saepe me advertit, atque sententia illa, celebrata ab omnibus philosophis et historicis, inde ab Herodoto, licet primo mira visa sit, diutius cogitanti principium omnis artis civilis apparuit, scilicet omnes legum servos esse oportere.

Cum igitur quaestio nobis proponeretur, ut effatum illud veterum: servi legum omnes sumus ut liberi esse possimus, explicaretur, statim consilium cepi, ut etiam in arenam descenderem et periculum virium mearum in literato hoc certamine facerem, verum cito quantis difficultatibus obseptum illud argumentum esset, intellexi, et dudum propositum missum fecissem nisi mihi illa benevolentia nota esset, qua excipi juvenilia conamina solent. Hac igitur fretus rem sum aggressus et quod potui praestiti, semper dictum illud ante oculos habens in magnis voluisse sat est.

Rationem, qua optime institui posse disputatio visa fuit, talem sequutus sum, ut in duas partes opusculum divideretur, quarum prior de legum natura, altera de libertate ageret. Quod utramque cum ex Philosophorum et Politicorum antiquorum effatis, tum ex antiquarum civitatum historia explicare sum conatus, ut ita tandem hinc concludere liceret quaenam leges inter et libertatem necessitas intercedat.

Quum antiqui philosophi iidem fere politici essent et vel ipsi rempublicam gesserint vel saltem in hominum luce vixerint, in suis placitis semper civitatum rationem habuerunt, quales eorum aevo erant et ex earum historia haud raro exempla petierunt quibus sua placita probarent; et tam universe de arte civili disputantes quam ubi de lege et libertate singulatim egerunt semper ad antiquarum rerumpublicarum rationem respexerunt. Horum ergo vestigiis insistendum ratus historiam non singulatim tractavi, verum satis mihi habui ex ea placita probasse et illustrasse, quae antiqui protulerunt. Et revera placita de civitatis origine, felicitate et fine, quae ab historia non probantur haec nulla dicere non dubitem.

Antiquos autem duces in omni disputatione sum sequutus, maxime in priore parte, Plato etenim, Aristoteles et Cicero tam egregie de legum natura philosophati sunt, ut nostra aetas vix habeat, quod eorum placitis addi possit. Cum de libertate agendum esset, magis ex dictis horum veterum efficiendum fuit quid libertate intellexerint, quoniam varia significatione eam usurparunt nec nisi obscurius hanc significarunt quam Cicero procul dubio respexit, cum legum omnes servos diceret ut liberi essent. Quantum autem, in hac imprimis disquisitionis parte, Cl. Heusdio debeam, qui in opere suo *Schola Socratica*, viam mihi

indicavit et facem praetulit, uti ipse lubens agnosco et profiteor ita unusquisque facile intelligit. Ceterum opellam meam nominibus ornare nolui satis habens fontes e quibus profecerim laudasse, quocirca veteres maxime sequutus recentiores parcius consului.

Videtis, Judices clarissimi, quid sequutus fuerim et quaenam nostri instituti fuerit ratio. Nostri igitur ingenii, qualiscunque tandem, primos fructus, praematuros certe illos et inconditos vobis trado, ea benevolentia fretus qua juvenelia opera excipere consueveritis. Quodsi temeritatis culpam merui, qui male plura posuerim, vos obtestatos esse velim ut parcatis atque ignoscatis juveni, nec mihi eam denegetis veniam, quae nostrae aetati tribui solet.



# PARS PRIOR.

## DE LEGUM NATURA.

— οὔτε βροτοῖς γέρας ἄλλο τι μεῖζον
οὔτε θεοῖς ἢ κοινὸν ἀεὶ νόμον ἐν δίκῃ ὑμνεῖν.
CLEANTHES.

Etsi recentior aetas in nullis fere non artium doctrinarumque generibus habeat, quo prae antiquis glorietur, sunt tamen horum etiam egregia merita, quibus suus semper honor constabit; quod ut universe verum est, ita in philosophia et arte civili est verissimum, quas disciplinas arctissime semper conjunxerunt antiqui, et in quibus, haec imprimis peculiaris eorum ratio fuit, ut placita non solum exemplis ex civitatum, qualis tum erat, institutione declararent, verum etiam suam ipsorum sententiam ad eam informarent et accommodarent.

Quum igitur antiquae civitates respublicae essent, quae nullum dominum agnoscerent nisi Legem, ultro Philosophia antiqua legum rationem et naturam accuratius investigavit et cum de universa arte civili tum de ipsis legibus placita protulit plane egregia, e quibus nostra etiam aetas fortassis non nihil proficere possit, sed in quibus multa etiam mira sunt, quaeque

non nisi ex principiis Politicae apud antiquos atque ipsarum civitatum historia explicari queant.

Itaque ut quae apud antiquos exstant effata de Legum natura (quos duces imprimis hac in re sequimur) et praecipue Platonis sententiam rite exponere possimus, opus esse videtur ut prius et ex philosophia et ex historia principia illa exquiramus, quibus ars civilis apud eos innitebatur, quod quidem eo magis est necessarium, quo minus nostra his de rebus sententia cum antiquorum opinionibus convenit. Antiquae etenim illae respublicae a nostris civitatibus maxime diversae, civium suorum virtute et moribus florebant, in iisque conjunctionis aequalitatisque vigebat studium nobis plane ignotum, quo factum, ut de civitatis origine, felicitate, fine, vinculis, quibus illa continetur, peculiari ratione veteres disputarent, tum vero, quod praecipuum est, ea erat apud eos artis civilis et doctrinae moralis necessitudo ut haec illius esset principium. Priore igitur hujus partis sectione de antiquae politicae principiis et simul de antiquarum civitatum ratione et historia agemus, ut ita deinceps Legum fontem, naturam, et vim exquiramus.

# SECTIO PRIOR.

*Antiquae Politicae principia cum ex Philosophorum sententia, tum ex antiquarum civitatum historia adumbrantur.*

---

## § I.

*Doctrinae Moralis et Politicae apud antiquos necessitudo.*

Ars civilis illa, quam veteres hoc nomine intellexerunt multum erat a nostra diversa, cujus discriminis haec praecipua caussa fuit, quod antiqui nullam exterorum rationem habere solebant, nec politicas necessitudines cum iis contrahebant, sed contra omnes contemnebant, qui non ejusdem gentis essent cives, hos enim *barbaros* (1) dicebant et ad serviendum natos (2) existimabant. Uti nos hominem veneramur in hominibus, ubicunque degunt et quibuscunque sunt moribus, rudibus etiam et barbaris prorsus, sic veteres civem maximo loco habebant, ad patriam suamque civitatem

---

(1) Cicero de republ. I. 37. Eustath ad Iliad T. I. p. 207. Ed. Lips. Goeller ad Thucyd. V. I. p. 89. Raoul-Rochette Histoire de l'etablissement des colonies Gr. V. I. p. 139. Hermann. Lehrbuch der Gr. Staatsalterth, p. 22.

(2) Euripid Hecuba 1173 sq. Iphig. Aulid 1379 sq. Aristot. Polit. I. 2. III. 14. Garve in ann. ad suam Aristot. Polit. versionem V. II, p. 85 et 135.

omnia referebant, et hanc tota eorum Politica spectabat, quae, ut Platonis verbis dicam, sola erat ἡ αἰτία τοῦ ὀρθῶς πράττειν ἐν τῇ πόλει, καὶ ἀτεχνῶς κατὰ τοῦ Αἰσχύλου ἰαμβεῖον, μόνη ἐν τῇ πρύμνῃ καθῆσθαι τῆς πόλεως πάντα κυβερνῶσα καὶ πάντων ἄρχουσα καὶ πάντα χρήσιμα ποιεῖν ἐδόκει (1). Arctis profecto sic erat finibns haec ars inclusa, multoque quam apud nos contractioribus, veruntamen ipsis illis antiquae politicae angustiis vis ejus peculiaris et propria tribuenda videtur. Cum *viverent* plane antiqui pro republica quisque sua politici ducebantur honoris sensu, sublimi prorsus et nobis ignoto (2). Praeterea, quum a nostri temporis cogitandi ratione haud sit alienum artem civilem a justo ita discernere ut utilitatem unice spectet, veteres contra politicam cum justo maxime semper conjunxerunt; auctor nobis est Cicero Socratem exsecrari solitum fuisse eum qui primum opinione utilitatem ab honestate distraxisset (3), et hoc ita antiquis acceptum erat ut civitates nil, quod justitiae repugnaret, utile haberent. Quum Aristides populo nuntiasset Themistoclis consilium fructuosum quidem esse, honestum vero et justum non item, continuo Athenienses illud rejecerunt (4), et Plato

(1) Plato Euthyd. p. 291 D.
(2) Cl. Heusdius diatr. in civit. antiq. p. 55.
(3) Cicero de off. L, III c. 3.
(4) Plutarch. vit. Aristid. c. 22, p. 332.

ἔστι δή που, inquit, καὶ τὸ πολιτικὸν ἡμῖν ἀεὶ τοῦτ' αὐτὸ τὸ δικαῖον (1).

Hoc discrimen inter antiquorum et recentiorum Politicam facile explicatu nobis erit, diversam rationem, qua civitatem considerabant, attendentibus; nos etenim eam machinam quandam habere solemus, cujus vires a causa quadam extrinsecus impelluntur, atque ita esse ostendunt, cum antiqui civitatem cum homine compararent, libere agente et vivente, qui non ab alio sed a se ipso moveatur, unde antiquorum effatum: δεῖν τὴν πόλιν καθαπερ ἕνα ἄνθρωπον ζῆν εὖ (2), quas igitur partes sibi in animo humano reperisse visi sunt, easdem in civitate quoque animadverterunt, meliores alias, alias pejores, omnes autem agentes et veluti spirantes, ac saepe sibi invicem repugnantes, subinde etiam mutuo conciliatas et consentientes (3). Sponte itaque has virtutes, quas in singulis magni faciebant, civitati bene constitutae etiam adscribebant antiqui; credo equidem, Socrates apud Platonem inquit, no-

(1) Plato de Legg. VI. p. 757 C.

(2) Plato de Legg. VIII, p. 828 D.

(3) J. L. W. de Geer, diatr. de princip. Polit. Plat. p. 126 sqq. Plato de republ. IV, p. 442 C. Heeren, Ideën, III. Th. p. 235. Praeclare Wachsmuth Hellen. Alterth. I. 1. p. 205: Die gegenseitige Durchdringung der Ethic und Politik, die von den Staatsordnungen in die Schulen der Philosophen überging, wurzelte im Hellenischen Nationalgefühl; aus diesem sprotzte die Ethische Grundlage und Fassung der alten Gesetze auf.

bis civitatem, siquidem bene ordinata fuerit, optimam etiam ac perfectissimam fore. — Necesse est, Glauco reponit. — Tum Socrates δῆλον δὴ ὅτι σόφὴ τ' ἐςὶ καὶ ἄνδρεια καὶ σώφρων, καὶ δικαία (1). His virtulibus, uti homo dum vivit operam dare debet, ita eaedem civitati ut felix sit maxime sunt colendae, quibus quippe neglectis, corrupta illa nec florere amplius nec esse quidem potest. Ne autem existimemus virtutem civitatis nomen habere cum hominis virtute commune, re ipsa tamen ab ea plurimum differre (2), nam antiquorum sententiam expressit Aristoteles cum diceret: Ἄνδρεια δὲ πόλεως καὶ δικαιοσύνη καὶ φρονήσις τὴν αὔτην ἔχει δύναμιν καὶ μόρφην, ὧν ἕκαςος τῶν ἀνθρώπων μετάσχων, λέγεται δίκαιος καὶ φρόνιμος καὶ σώφρων (3). Iisdem ergo virtutibus, ac homo, floret vigetque civitas et iisdem etiam vitiis corrumpitur et perit, hinc factum ut ea vitia, quae singulis non nocere non possint, etiam in suis rebuspublicis maxime cavenda censuerint veteres.

---

(1) Plato de republ. IV. p. 427 E.

(2) Hac in re errasse videtur Montesq. *Esprit des Loix*, L. III. chap. 3, coll. L. IV. ch. 5, L. V. ch. 2 ubi virtutem principium dicens Democraticae regiminis formae, eam ita describit c'est l'amour de la republique, c'est un sentiment et non une suite de connaissances.

(3) Arist. Polit. VII, c. 1, p. 1323. Edit. Bekk. cf. c. 15, p. 1334, rem invertit Novalis: *Das Volk ist eine Idee. Wir sollen ein Volk werden. Ein vollkommener Mensch ist ein kleines Volk. Echte Popularität ist das höchste Ziel des Menschen.* Novalis Schriften herausgeg. von Tiek und F. Schegel, II Th. p. 273.

Haec civitatis cum homine comparatio propria fuit antiquorum, Platonis maxime, politicae, quae huic peculiarem non tantum formam dedit sed etiam optimos fructus produxit, nam sic nobis facem praetulerunt cum ad hominis, tum ad civitatis naturam melius cognoscendam. Exstitit illa sponte ex conjunctione policiticae cum philosophia, quae ab antiquissimis inde temporibus semper apud Graecos obtinuit, nam principes illi philosophi, *sapientes* dicti, civitatibus fere praefuerunt, et politica arte insignes, legibus latis inclaruerunt (1) et deinceps maximi viri de rebus politicis ita egerunt ut cum doctrina morali artem civilem arcte conjungerent; quid, quod Aristoteles omnem de moribus disciplinam ad Politicam referre voluit, illamque hujus nomine putavit dicendam (2). Cum enim antiquis civitas ζῶον (3) esset, quod se ipsum movere, virtutem colere, vitiis corrumpi, hominis instar, posset, non mirum si eandem viam qua homo ad virtutem convertitur, civitati quoque adhibendam censuerint, et ho-

---

(1) Teste Diogene Laertio citato a Krug. Geschichte der Phil. alter Zeit. § 22 p. 76 fuerunt nec sapientes nec philosophi, sed prudentes et legislatores cff. Stobaeus serm. 28 p. 85-89. Edit. Wechel. Terpstra de sodalit. Pythag. p. 127. Gillies Historie of Greece V. II ps. 1 p. 127 sqq. (Edit. 1820) Wachsmuth Hell. Alt. 1. 1 p. 198 sq.

(2) Magna Moral. L. I. c. 1. p. 107 E. Edit. 1611, qua usus sum, excepto in libris Politicôn ubi Bekkeri editionem adhibui.

(3) Plutarch. de S. N. V. p. 60. Edit. Wytt.

minis conversionem tanquam partem hujus majoris, totius scilicet civitatis, consideraverint.

Quoties itaque veteres de salute civitatis provehenda cogitarunt, hominem respicere solebant, ejusque animum et rationem, qua ad felicitatem pervenire possit. Solent recentiores civitatum florem ex externis caussis repetere, ex ditionis magnitudine et fertilitate, mercaturae flore, pecuniarum abundantia (1), quae omnia antiqui corruptionis principia habebant (2) qui contra internam tantum civitatis rationem ejusque ad virtutem progressus considerabant. Quomodo vero ad virtutem pervenire potest homo nisi morali disciplina animus ejus excultus fuerit? Artes et doctrinae ingenium possunt acuere et mentis facultates excitare, sed probus bonusque ut fiat, prae omnibus vitium fugere debet et virtutis amore odisse peccatum. Quid igitur? Eadem illa morali doctrina ad virtutem adducendam civitatem esse veteres arbitrati sunt eamque suae Politicae fundamentum habuerunt.

Ex hac Ethicae et Politicae conjunctione multa explicanda sunt, quae ceteroquin in antiqua-

(1) Montesq. II. L. III. ch. 3.

(2) Hinc Spartae (xenelasia) vid Cragius de republ Laced. L. III, p. 210, mercaturae neglectus et moneta gravis vid. idem l. l. p. 333 sqq. et p. 288, Manso Sparta I, Th. I p. 160 sqq. Boeckh. Staatshaushaltung der Athener, II Th. p. 137 sq. Wachsmuth Hellen. Alterthumsk. II Th. I Abth. p. 99, III. 361. Hermann, Lehrbuch. der Gr. Staatsalterth. p. 72.

rum civitatum historia mira nobis videri debent, ut judicia illa de civium moribus, quorum vis tam late patuit; apud Athenienses Areopagitae gravissimas caussas dijudicabant, sed maxima tamen eorum muneris pars erat morum cura, utque in intemperantes, socordes, pigros, libidinosos animadverterent (1) et probabile est talia instituta apud alios quoque Graeciae populos adfuisse (2). Censoribus vero apud Romanos cum alia munera, tum hoc imprimis fuit commissum, ut morum rationem haberent. Hinc etiam accidit ut maximum crimen ab antiquis haberetur si quis nova numina induxisset, ut contra ipsam rempublicam peccasse censeretur (3), et summi viri, Anaxagoras, Protagoras, ipse etiam Socrates damnati sint, quia novos Deos inducerent et juventutem corrumpere conarentur. Sic antiquis civitas *persona moralis* fuit, cui virtus scopus esse debet, quo tendat (4) quod quo melius etiam intelligamus, jam quid de civitatum origine et natura censuerint, videamus.

---

(1) Rovers de censoribus p. 90 et quos laudat. Hermann, l. l. p. 233 sqq. et van Swinderen in Ann. Acad. Groning. 1818-19.

(2) Heeren, Ideën, Th. III, p. 26f.

(3) Cicero de Legg. II, 8 ibiq. interpp. d'Engelbronner de loco Ciceronis qui est de legg. p. 60.

(4) Aristot. Polit. L. VII, c. 1, p. 1323.

## § II.

### *De Antiquarum civitatum natura.*

Totius antiquorum Politicae princeps fuit et primarium illud placitum: *civitates civibus constare*, quod nobis non mirum accidere non potest, qui semper civitatis nomine regionem quandam certis finibus circumscriptam, intelligere solemus, qua devicta et subjecta, civitatem ipsam sublatam putamus; sed veteres non regionis finibus civitatem metiebantur, haec apud eos civibus efficiebatur, quocunque essent loco, et quacunque conditione, modo liberi essent et secum conjuncti. Quum Ionia ab Harpago victa esset, Bias incolis suasit, ut in Sardiniam navigantes ibi civitatem opulentam conderent (1). Athenas Xerxes occupaverat, templa incenderat Deorum nec tamen civitatem amissam Themistocles habuit cum indignatus quod quis cum *ἄπολιν* vocasset, exclamaret *πόλις ἡμῖν ἔςι μεγίςη τῶν Ἑλληνιδῶν, αἱ διακόσιαι τριήρεις αἱ νῦν ὑμῖν παρεςᾶσι βοηθοὶ σώζεσθαι, δί αὐτῶν βουλομένοις· εἰ δ' ἄπιτε δεύτερον, ἡμᾶς προδόντες αὐτίκα πεύσεταί τις Ἑλλήνων Ἀθηναίους καὶ πόλιν ἐλευθέραν καὶ χώραν οὐ χείρονα κεκτημένους, ἧς ἀπέβαλον* (2). Non erant antiquae civitates

(1) Herod. I, 170, vid etiam c. 164 ubi idem de Phocensibus narratur cf. Heusdii diatr. I. p. 42.

(2) Plutarch. vit Themist. c. 11, p. 117. Thucydid. L. VII, c. 64, 77. Euripides in Phrixo. Tom. IX, p. 299, edit. Math.

*urbes* sed erant κοινωνίαι, civium *communitates*, sacris et institutis conjunctae.

Quo autem suas de civitatum natura opiniones melius exponere possent, solebant antiqui philosophi originem civitatum exquirere et quaenam hominibus prima coëundi caussa fuisset; quam eorum disputationem quia basis est, cui omnia superstruxerunt, nobis hoc loco praetermittere haud licet. Statuebant igitur, cum aliae animantes natura sua solivagae essent, aliae congregatae et junctae viverent, homini illud imprimis societatis studium esse innatum (1), quippe qui sua natura ita comparatus sit, ut sibi ipse sufficere haud possit, nisi aliorum auxilium accedat, et sic una cum aliis conjunctus mentis animique facultates explicet et excolat (2): Sic homo, ut Aristoteles ait, fit πολιτικὸν ζῶον-πάσης μελίττης καί πάντος ἀγελάου ζώον μᾶλλον (3). Praeterea animadverterunt veteres in homine loquendi facultatem, quae si solus vivere debuisset, quo tandem modo ipsi profuisset? nunc autem maximum humanae societatis est vinculum (4). Hoc ita-

---

(1) Arist. Polit. I, 1, 2. Plato de republ. II, p. 369 B. Fulleborn. in annot. ad Garvii vers Arist. Polit. II, Th. p. 102 sqq. Cl. Heusdii initia Philos. Platon. V. III, p. 58 sq.

(2) Cicero de officiis I, 44.

(3) Aristot. Politic. I, c. 2 p. 1252 eff. Roukens de optim. forma reipubl. p. 6. Cicero de finib. V, 23. W. H. de Savornin Lohman de notione civitatis, p. I sqq.

(4) Aristot. Politic. I, 2, p. 1252. Cicero de Legg. I, 9, de Republ. III, 2.

que studium, quo homo adigitur, ut se cum aliis conjungat, a natura ipsa habet acceptum. et sequitur ergo ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes, homines naturâ esse informatos, unde *naturalis* illa hominum societas oritur, qua omnes ita conjunguntur, ut nemo humani aliquid a se alienum putet, quaeque omnibus inter omnes latissime patet, atque in qua omnium rerum, quas ad communem usum hominum natura genuit, est servanda communitas, ut observetur Graecorum proverbium amicorum esse omnia communia (1). Pristina aetate igitur, ut Plato festive narrat, homines, nondum ad magnum numerum aucti, naturali illo vinculo conjungebantur et ἠγαποῦν καὶ ἐφιλοφρονοῦντο ἀλλήλους, quiete degentes artiumque non solum sed malorum etiam expertes, nam κατὰ μίαν οἴκησιν καὶ κατὰ γένος διεσπαρμένοι, εὐηθέστεροι καὶ ἀνδρειότεροι καὶ ἅμα σωφρονέστεροι καὶ σύμπαντα δικαιότεροι erant et mores avitos colentes atque πατρονομούμενοι libere vagabantur (2). Haec sponte orientales gentes in memoriam revocant, quae per tribus et familias divisae vivunt et maximum natu, quem omnes venerantur, sibi praepositum habere solent, qualem antiquitus Grae-

(1) Cicero de offic. I, 16, de Legg. I, 10-12. Acad. I, 5. Amicit. 5 de Finibus V, 23, de offic. III, 6 cf. Thiebout de sapientis humanitate apud Senecam p. 61 sqq.

(2) Graeci philosophi numquam *statum naturalem*, quam vocant recentiores, cognoverunt vid. J. L. W. de Geer diatribe de Plat. Princ Polit. cit. p. 131.

corum item fuisse conditionem, non desunt indicia (1), sed cito tamen hi certas sedes occuparunt. Nam, ut Plato pergit, cum plures tales familiae ad unum locum convenissent, sponte urbem tanquam unam communem domum exstruebant, templa festaque mox accedebant et tandem etiam βουλευτήριον, quo seniores convenirent ut de communi salute deliberarent, constituebatur (2).

Communis Deorum cultus, fuit vinculum quo primum homines arctius conjuncti fuerunt (3), quod non solum antiqui jam philosophi statuerunt, verum ipsa antiquarum civitatum historia ostendit. Nulla fuit fere, in qua non templum haberetur insigne, in cujus vicinitate habitarent cives. Ubi autem templa aderant, ibi aderant etiam festa, ad quae omnes conveniebant, ut deos celebrarent et simul ludis animum exhilararent. Excolebantur ita amicitiae sensus, animi facultates sese explicabant et oriebatur conjunctio quaedam, atque societatis studium magis magisque eos excitabat, ut, quod duce natura sponte fecerant, id jam judicio et ratione agere instituerent (4). Sic factum ut prima civitatum initia

(1) Euripid. Ion. 1571 sqq. Thucyd. I, 13, ubi cf. Goeller, Heeren Ideën III, p. 58. Hermann Lehrbuch etc. p. 13 sq.

(2) Plato de Legg. III, p. 680 D.

(3) Hermann Lehrbuch, p. 30.

(4) Cl. Heusd. diatrib. in civit. antiq. p. 1-K. Wachsmuth. Hellen. l.l. Alterth. I, 1, p. 105.

templa essent et deinde earum centrum manerent, una cum Acropoli et arce (1), sed vinculo religioso brevi etiam civile accessit, exstiterunt etenim curiae, βουλευτήρια, ubi principes consulerent περὶ τὸ τῷ κοίνῳ σύμφερον. Iönes templo in Mycale promontorio jam conjuncti fuerunt cum Thales iis suaderet ut curiam conderent in insula Teo (2). Oraculo Delphico ab antiquissimo inde aevo conjuncti fuerunt Graeciae populi, sed postea ibi fuit commune gentium Graecarum βουλευτήριον (3). Apud Romanos vero Senatus Populique auctoritas semper usurpabatur.

Sic urbes civitatesque exstiterunt, primo sacris communibus post institutis etiam legibusque conjunctae, et *civilis societas*, quae multo arctior est quam naturalis illa, initium cepit. Ut enim ab illa infinita discedatur, propior est, ejusdem gentis, nationis, linguae, qua maxime homines conjunguntur: interius etiam est, ejusdem esse civitatis. Multa enim sunt civibus inter se communia: forum, fana, porticus, viae, leges, jura, judicia, suffragia, consuetudines praeterea et familiaritates, mul-

---

(1) Cf. Wachsmuth II. l. 1. p. 315 sqq.

(2) Herodot. I. 170.

(3) Aeschin. de falsa legat. T. III, p. 284. Reisk. Achaei etiam suum habuerunt concilium Aegii Polyb. II, 50, 51. Hermann. Lehrbuch, p. 32-3;, p. 409, p. 413. Wachsmuth II. l. 1. p. 113.

taeque cum multis res rationesque contractae (1), et, quo magis in hominum luce vivere antiqui solebant quoque minus cum exteris erant conjuncti, eo interius cives erant colligati secum invicem, eoque pluris *civium* nomen faciebant; quo nomine antiqui omnia intelligebant, quibus prae servis et barbaris gloriari possent (2). Non mirum igitur tanti eos jus civitatis fecisse et ejus honorem validissimum fuisse vinculum, quod eos consociaret, sed praeterea quicunque civis esset, imperii publici erat particeps. Mature enim ex illo societatis aequalitatisque studio, quo flagrabant antiqui, conciones populi exstiterunt, quarum auctoritas eo major fuit facta, quo libertatis studium magis exardesceret, atque respublicae illae existerent, quas communitates, κοινωνίας, rite dicas. et quarum centrum essent populi conciones, ἐκκλησίαι, quibus sublatis ipsa civitas sublata esse censebatur. His cives intererant, qui hoc ipsum in summi beneficii loco ponebant, quare eum tantum civem habendum esse ait Aristoteles qui ἐκκλησιαστὴς sit et in populi concione suum possit suffragium proferre (3).

Non vero derepente sed paullatim sese illud antiquorum communitatis studium explicuit, et sensim eorum civitates rerumpublicarum for-

(1) Cicero de off. I. 17.

(2) Wachsmuth l. l. p. 162 sqq.

(3) Arist. Politic. III. 1, p. 1275 cf. Montesq. Espr. d. Loix L. 2, ch. 11, Hermann Lehrb. p. 116.

mam acceperunt; antiquissimo etenim aevo Graeciae civitates nec minus etiam Romani regibus obediverunt, quorum tamen imperium optimatium auctoritate limitatum fuit, et mature jam populi aliquae fuerunt in rebus publicis partes. Homeri tempore conciones jam aderant, ubi populus una cum rege et principibus deliberaret (1), comitia vero Romae a primo adeo rege instituta habita sunt. Quum vero deinde aliarum gentium invasionibus et civilibus etiam turbis regum potestas magis magisque deminueretur, populi contra vis in dies aucta est, donec tandem ad hanc regiminis formam pervenirent, qua eorum civitates revera κοινωνίαι essent. Sic post Codri mortem Athenienses Archontes instituerunt, qui initio parum a regis dignitate distantes, sensim sensimque magnam suae auctoritatis partem amiserunt, quam ipse populus sibi vindicavit (2). Spartae quidem reges manserunt, sed quorum imperium arctis finibus, Ephororum imprimis institutione, erat circumscriptum (3), et Romani Tribunis plebis instituendis Consulum auctoritatem valde deminuerunt. Ita paullatim exsti-

---

(1) Vid. Wachsmuth l. l. p. 90. II. 1, p. 5 sqq. Cl. Heusdii diatrib. l. p. 31. Terpstra antiquit Homerica p. 67.

(2) Bernard de Archontibus in Ann. Acad. Lovani 1821. Hermann Lehrbuch etc. p. 220 sqq. Wachsmuth II. I. 1. p. 212.

(3) Hermann Lehrbuch p. 99 sqq. Wachsmuth II. I, 1. p. 192 sq. p. 222, Cl. Heusdii diatribe l. p. 75. Manso Sparta II, p. 377.

terunt antiquae illae respublicae, quarum principium erat societatis et conjunctionis studium, ut Pythagoricum illud κοῖνα τὰ τῶν φίλων semper obtineret. Servis, equis, opibus etiam tanquam communibus inter se cives Spartae utebantur (1) et quotidie una ad συσσίτια conveniebant. Athenienses festis, Panathenaïcis imprimis, conjuncti erant. Omnium autem Graecorum conventus habebatur ad ludos illos Olympicos et Isthmicos, in quibus victoriam reportasse non tantum victori, sed toti ipsius civitati commune decus habebatur (2). Civitatem ita veteres tanquam societatem considerabant, cujus socii singuli sives haberentur, vel potius tanquam corpus, cujus membra cives essent (3). Ex qua considerandi ratione multa philosophorum effata explicanda sunt, quibus cives suos incitant, ut non suum commodum, suam voluntatem tantum spectent, sed imprimis quid civitati conducat (4), hinc etiam quam maxime societatis studium apud cives excitare, eosque conjungere studuerunt, τὸ μὲν κοινὸν συνδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον διασπᾷ τὰς πόλεις (5), Plato affirmavit et sententia ejusdem philosophi, mira nobis et

(1) Xenoph. de republ. Laced. 6. Aristot. Polit. II, 3, p. 12 2 cf. etiam Wachsmuth II, I. 1. p. 208.

(2) Thucyd. VI, 16.

(3) Livius II, 23.

(4) In Platonis libris v. c. de Legg. V. p. 740 A. VI p 773 A. VII, p. 801 E. IX. p. 875 A. XII. 955 C. Hermann Lehrbuch p. 114.

(5) Plato de Legg. IX, 875 A. Euripid. Phoen. 538 seqq;

absurda de uxorum liberorumque communione, non aliunde fluxit quam ex hoc *κοινωνίας* studio (1); quid? quod non optimam tantum, sed etiam felicissimam civitatem antiqui habuerunt eam, ubi cives erant quam maxime secum conjuncti, *πρώτη μὲν τοίνυν πόλις τέ ἐςὶ καὶ πολιτεία-ὅπου τὸ πάλαι λεγόμενον ἂν γίγνηται κατὰ πᾶσαν τὴν πόλιν ὅτι μάλιςα, λέγεται δὲ ὡς ὄντως ἐςὶ κοινὰ τὰ Φίλων-καὶ πάσῃ μηχανῇ τὸ λεγόμενον ἴδιον πανταχόθεν ἐκ τοῦ βίου ἅπαν ἐξήρηται* (2). Cum hoc autem societatis studio, ex quo respublicae antiquae exstiterunt, quodque earum fuit principium, arcte cohaerebat summus aequalitatis amor, quo ferre non poterant ut alter prae altero in civitate emineret, hinc multa in antiquis civitatibus instituta, uti agrorum divisiones, remissiones debitorum (3), hinc etiam acerrimum illud veterum in tyrannos odium. Procul autem aberat ut omnes aequales omni in re essent antiquitus, nec haec erat, quam celebrabant, aequalitas, sed illud spectabant, ut jura omnium essent aequalia et ratione legum nullus aliis inferior esset. Quod ita cum civitatum natura conjunctum erat, ut nulla *κοινωνία*, nulla inter cives *φιλία* (libenter enim hanc vocem Graeci usurpabant) esse posset, nisi aequales essent juris ratione. Propterea

---

(1) Cl. Heusdii diatribe l. p. 44.

(2) Plato de Legg. V. p. 739 C. cf. Plutarch. vit. Lycurg. c 25 p. 55. Ekker de fabula Promethei apud Plat. p. 80 sq.

(3) Vid. Aristot. Polit. II, c. 7, p. 1266.

veteres imprimis τὴν ἰσονομίαν celebrant. Πλῆθος δὲ ἄρχον πρῶτα μὲν οὔνομα ἔχει πάντων κάλλιστον ἰσονομίην, sic Otanes apud Herodotum loquitur, δεύτερα δὲ πάλῳ μὲν ἀρχὰς αἵρει, ὑπεύθυνον δὲ ἄρχην ἔχει. βουλεύματα δὲ πάντα εἰς τὸ κοινὸν ἀναφέρει (1). Ita Pater historiae principia nobis indicavit, quibus antiquae civitates nitebantur *communitatis aequalitatisque studium.* Quo conjuncti cives in civitate tanquam communi domo habitabant, non alii aliis subjecti, sed fratrum instar, pares inter se et aequales, juris consensu sociati; communibus sacris et institutis ad unum quasi corpus conjuncti nil privum sibi sed omnia publica habebant et ad communem referebant utilitatem. Ἡμεῖς δὲ, inquit Plato, καὶ οἱ ἡμέτεροι, μιᾶς μητρὸς πάντες ἀδελφοὶ φύντες, οὐκ ἀλλήλων ἀξιοῦμεν δοῦλοι, οὐδὲ δεσπόται εἶναι, ἀλλ᾽ ἡ ἰσογονία ἡμᾶς, ἡ κατὰ φύσιν, ἰσονομίαν ἀναγκάζει ζητεῖν κατὰ νόμον, καὶ μηδενὶ ἄλλῳ ὑπείκειν ἀλλήλοις ἢ ἀρετῆς δόξῃ καὶ φρονήσεως (2).

## § 3.

### *Antiquorum sententia de optima civitatis conditione.*

Quaenam optima civitatis conditio antiquis visa fuerit, facile ex ratione, qua eam consi-

(1) Herodot. III, 80 cf. Creuzer die Historische Kunst der Gr. p. 108. A. de Jongh, de Herod. philos. p. 115 ut etiam Wachsmuth l. l. I. II, p. 21.

(2) Plato Menex p. 239 A cf. Euripid. Phoen. vs. 539 sq. ibique Valcken p. 199. Quantam vim hoc communitatis stu-

derabant, intelligitur. Cum enim eam homini compararent ipsique virtutem tribuerent, hanc effici civium virtute et moribus putabant *ἢ οἴει*, sic Socrates Glaucum rogat, *ἐκ δρυὸς πόθεν ἢ ἐκ πέτρας τὰς πολιτείας γίγνεσθαι, ἀλλ' οὐχὶ ἐκ τῶν ἠθῶν, τῶν ἐν ταῖς πόλεσιν, οἳ ἂν ὥσπερ ῥέψαντα τἆλλα ἐφελκύσηται* (1); Moribus civium igitur eorumque virtute optimam effici civitatis conditionem opinabantur. Quibus corruptis, ipsa solvebatur civitas, nam hanc habentes societatem, *κοινωνίαν*, amicitiâ junctam et arcte colligatam, probe perspexerunt antiqui firma ejus vincula esse non posse, nisi *morali virtute* niterentur. Mali etenim et improbi sese ad aliquid perpetrandum conjungere possunt, sed constans et firma haec societas numquam evadet, nec benevolentiae junctio umquam aderit, quam si exemeris ex natura rerum nec domus ulla nec urbs stare poterit, ne agri quidem cultus permanebit (2). Moribus ita tota civitatis salus apud veteres nitebatur, atque civium bonorum conjunctione et consensu, nam omnium societatum nulla praestantior, nulla firmior, quam cum viri boni, moribus similes, sunt familiaritate conjuncti (3), sic

---

dium antiquorum habuerit etiam in philosophia patet ex Plat. Gorgia, p. 507 D, ubi totus mundus dicitur consensu quodam contineri, quod a Pythagora sumpsit teste Photio Biblioth; p. 440 Bekk.

(1) Plato de republ. VIII, p. 544 D;

(2) Cicero de Amicit c. 7.

(3) Cicero de of. I. 17.

oritur vera in civitate amicitia, qua nullum majus bonum ei contingere potest, Φιλίαν γὰρ οἰόμεθα μέγιστον εἶναι τῶν ἀγαθῶν ταῖς πόλεσιν (1); quare multo minus antiqui ea curabant quibus nos fere civitatum prosperitatem censemus, sed multo magis mores civium emendare et integros servare studuerunt, ut ita prospera esset civitas, etiamsi hi pauperes essent nec lauta iis suppeditaret vita (2).

Haec fuit constans et universa antiquorum politicorum sententia, ut non solum eorum scripta sed civitatum etiam instituta nos docent. Ubivis juventutis institutionem legibus definitam et descriptam invenimus, ubivis summam eorum curam animadvertimus, qua mores antiquos et probos retinere, arcere contra omnia corruptionis initia studuerunt. Jam Lycurgus, metuens ne aliena exempla civibus nocerent, iis peregrinationem extra Laconicae fines et mercaturam interdixit (3), et cum Plato perfectam reipublicae formam adumbraret, eam non prius interituram censuit, quam educatio moresque essent corrupti. Romani autem tamdiu omnium gentium fuerunt victores, quamdiu a corruptela immunes manserunt, sed cum semel auctae divitiae luxuriam et nulla non vitia induxissent, eventu comprobatum est Ennii illud:

---

(1) Aristot. Politic. II. 4, p. 1262:
(2) Cl. Heusd: diatr. l. p. 49 sq. Wachsmuth l. l. T. I. 1. p. 207:
(3) Plut. vit. Lycurgi c. 9 et 27. p. 44. Wachsmuth ll. II. 11. p. 71.

*Moribus antiquis stat res Romana, virisque.* qui versus Ciceroni vel brevitate vel veritate tanquam ab oraculo quodam editus esse videbatur, quid enim, inquit, manet ex antiquis moribus, quibus dixit ille rem stare Romanam? Quos ita oblivione obsoletos videmus, ut non modo non colantur, sed etiam ignorentur. Nostris enim vitiis, non casu aliquo, rempublicam verbo retinemus, re ipsa vero jam dudum amisimus (1).

Laudarunt fere antiqui Politici alii aliam civitatis formam et institutionem, ita Platoni placuisse maxime Lacedaemoniorum et Cretensium ratio videtur, Carthaginensium autem Aristoteli, Polybio vero Romanorum, sed omnes semper eam optimam praedicarunt, ubi universi cives, virtutis societatisque studio conjuncti, ad communem salutem omnes vires intenderent. Vocarunt eam δημοκρατίαν, quae tamen quum saepe eadem atque ὀχλοκρατία haberetur, deinde eam ἀριςοκρατίαν, i. e. regimen eorum, qui virtute excellerent, dixerunt Ἡ γὰρ αὕτη, Aspasia, docta illa mulier, de Atheniensium republica inquit, πολιτεία καὶ τότε ἦν καὶ νῦν, Ἀριςοκρατία, ἐν ᾗ νῦν τε πολιτευόμεθα καὶ τὸν ἀεὶ χρόνον. - καλεῖ δὲ ὁ μὲν Δημοκρατίαν, ὁ δὲ ἄλλο, ᾧ ἂν χαίρῃ. ἔςι δὲ τῇ ἀληθείᾳ μετ᾽ εὐδοξίας πλήθους Ἀριςτοκρατία — τὰς μὲν γὰρ ἄρχας δίδωσι καὶ τὸ κράτος τοῖς ἀεὶ δόξασιν ἀρίςοις εἶναι καὶ οὔτε ἀσθενείᾳ οὔτε πενίᾳ οὔτ᾽ ἀγνωσίᾳ πατέ-

(1) Cicero de republ. V apud Augustin de Civ. Dei II. 12.

ρων ἀπελήλαται οὐδεὶς, οὐδὲ τοῖς ἐναντίοις τετίμηται, ἀλλὰ εἷς ὅρος, ὁ δόξας σοφὸς ἢ ἀγαθὸς εἶναι, κρατεῖ καὶ ἄρχει (1). Sic illa, nec multum diversa antea in simili argumento Pericles dixerat (2). Persuasum enim his erat virtute nil esse in civitate praeclarius, nec optabilius quidquam, quam ut optimi quique summam auctoritatem haberent (3). Vidit hoc Plato cum philosophos civitatis praesides constitui voluit, qui praeterea illud etiam praescripsit ut singuli suum peragerent negotium, neve quis ob aliam quandam rem praeter animi dotes et virtutem ad magistratus perveniret (4), ibi demum ratus conjunctos fore cives florentemque civitatem, ubi virtus suo haberetur loco, contra ubi divitiae honorarentur, hanc non unam habuit civitatem sed plures. Ἑκάστη γὰρ αὐτῶν πόλεις εἰσὶ πάμπολλαι ἀλλ' οὐ πόλις, τὸ τῶν παιζόντων, δύο μὲν γὰρ, κἂν ὁτιοῦν ᾖ, πολεμία ἀλλήλων, ἡ μὲν πενήτων, ἡ δὲ πλουσίων (5).

Neque civium tantum virtute moribusque floruerunt civitates, sed cum optimi essent mores, constans etiam earum fuit conditio et secum conjuncti cives facinora ediderunt, quae pos-

(1) Plato Menex. p. 238 e. cf. Cl. Heusdii diatr. I. p. 55. Lusac de Socrate cive p 63 (p. 144 Edit. Belgic.) Göttling in Actis Acad. Jenens. V. I. p. 466.

(2) Thucyd. II, 37.

(3) Arist. Polit. III, 18. p. 1288.

(4) Plato de Legg. I. p. 643 C. de republ. IV p. 423 D. p. 433 A. VIII p. 546 A.

(5) Plato de Republ L. IV, p. 422 E.

terior aetas admirari satis non possit (1). Spartanorum respublica civium moribus et consensu tamdiu floruit, donec Lysandri et Agesilai ex Asia redux exercitus corruptionis semina civitati intulit, et sic factum, ut viri qui sui nominis metu regem Persarum perculerant, Thebanis et Epaminondae victas manus dare sint coacti. Athenienses, qui Marathone, Artemisii, Salamine maximum regem profligaverant, Lysandro resistere haud potuerunt, quia factionibus distracta civitas erat et virtus contempta jaciebat. Quid vero Romani? Integris moribus cunctas sibi regiones subjecerunt, postea in varias partes cives abierunt, respublica, quae intermedia erat, dilacerabatur. Ut enim in fidibus, sic Cicero ait Platonis vestigia premens, atque ut in cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem eruditae aures ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens, sic ex summis et infimis et mediis et interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione

(1) Egregie Gillies hoc vidit: The first spark of generous ardour, wich the love of virtue, of glory and the republic, excited in the assembled multitude, was diffused and increased by the natural contagion of sympathy: the patriotic flame was communicated to every breast; and the social warmth, reflected from such a variety of objects, became too intense to be resisted by the coldness of caution and the damps of despair. Hist. of Greece III, Vol. p. 7.

civitas, consensu dissimillimorum concinit, et quae harmonia dicitur a musicis in cantu, ea est in civitate concordia, arctissimum atque primum in omni republica vinculum incolumitatis (1).

At vero civium virtutem et consensum memorantibus, facile quis lites illas et contentiones opponat, quibus agitari antiquae civitates solebant. Notum est quantae turbae hinc saepius Athenis exstiterint et plebis Romanae secessiones celebres sunt in historia; verum ad earum rixarum naturam intelligendam haec animadvertenda videntur. Hae lites in civitatibus tum fere exstiterunt, cum primum sese in libertatem vindicare coepissent et respublicae essent conditae (1). Romae sub regibus nulla Plebis et Patriciorum contentio memoratur, nec Athenis ante Codri mortem gravior lis fuit, quid? quod frustra talium turbarum mentio in Homero quaeras, sed deinde, cum populus ipse suas partes in republica agere coeperat, cum omnes communitatis aequalitatisque studio erant inflammati, tum hae lites exstiterunt in antiquis civitatibus, quae comprimi non poterant nisi legibus firmata civium esset aequalitas Spartani ante Lycurgum malas leges habuerant et

(1) Cicero de republ. II, 42 cf. Plato de republ. IV, p. 432 A. Plutarch. vita Arati c. 24, p. 1038. Cl. Heusd. Socrat. School V. II. p. 88.

(2) Cicero de republ. II, 33. Wachsmuth l.l. I. 1. p. 190.

civilibus discidiis fuerant distracti (1), quibus ut obicem poneret certas leges dedit, ut ita cives conjungeret et aequalitas major induceretur. Haud minores fuerunt Athenis lites, Codro mortuo, vulgus inter et divites, et vix a bellis quietem adepti τὴν παλαιὰν αὖθις στάσιν ἐστασίαζον ὑπὲρ τῆς πολιτείας (2). Prodiit Draco, sed naturam civitatis haud respiciens leges tulit quae cito evanuerunt, quia metu cives continere voluit. Hoc animadvertit Solon et continuo ut majorem aequalitatem civium induceret σεισαχθείαν instituit, tum communia instituit convivia et festa et assuevit suos cives imprimis ὥσπερ ἑνὸς μέρη σώματος συναισθάνεσθαι, καὶ συναλγεῖν ἀλλήλοις (3), atque sic leges condidit, si non optimas, quae certe diu manerent, quia naturae civitatis consentaneae erant.

Romae autem vix exacti reges erant, populusque suam vindicaverat libertatem, quin plebs cum patriciis litigaret. Aderat enim Romae *plebs*, quae huic reipublicae propria fuit, et medium inter patricios et vulgus locum obtinuit (4), hinc factum, ut lites hae non caede et sanguine, uti saepius apud Graecos, essent commaculatae, sed agerentur omnia juris ratione et auctoritate. Non expulit plebs optimates,

(1) Herod. I, 65. Thucyd. I. 18. Müll. Dor. I. p. 91.

(2) Plut vit. Solon. c. 13. p. 84

(3) Plut l.l. c. 15, 18, p. 86. 88. cf Plato de republ. V, p. 462 B. 464 A.

(4) Gellius, Noct. Att X, 20. cf. van Harencarspel de Tribun. Plebis institut. p. 44.

ut sola pro lubitu omnia ageret, sed ipsa urbe cessit, tanquam suae virtutis sibi conscia (1), cum ferre diutius patriciorum injurias non posset, atque sic tandem creati sunt Tribuni plebis, certae leges constitutae sunt, communicati magistratus et aequalitas inter ordines et cives inducta est simulque consensus obtinuit.

Profuerunt sine dubio hae lites ad aequalitatem inter cives constituendam, imo necessariae erant, ut aliquando harmonia et concentus inter eos oriretur. Sic vindex unusquisque fiebat communis libertatis et omnes se invicem quasi custodiebant. Comparanti has civiles contentiones cum factionibus, quae postea, corruptis moribus, in antiquis rebuspublicis exstiterunt, discrimen facile parebit. Tum Athenis exstiterunt, qui democratiam retinere, alii qui eam mutare vellent, quorum hi, ut suum propositum assequerentur, hostibus civitatem prodere haud recusaverant (2), Romani, toto terrarum orbe sibi subjecto, ferrum verterunt in cives imo *civium* non amplius se nomine dicebant, sed a duce Syllani, Mariani dicti, non patriam *propugnabant*, sed huic illive duci *subjicere* eam conabantur, quantum illis dissimiles proavis, qui, licet secum invi-

(1) Dionys. Halic. VII, 18, VI, 70. Van Harensc. l. l. p. 32.

(2) Vid. Thucydid. L. VIII. passim, imprimis c. 90 sqq. Wachsmuth l. l. I. II, p. 157 sqq. 246 sqq. cf. Boeckh. Staatsh. der Ath. I, p. 211.

cem disceptarent, simul ac hostes advenirent, avide ad patriam defendendam in castra ruebant (1).

Optimam igitur civitatis conditionem e civium moribus antiqui dirivarunt et virtus civium moralis principium civitatum felicitatis erat, quia sic vera demum aequalitas et conjunctio obtinere potuit, de quo ut apud nos secus fere existimatur, ita hoc ad antiquorum politicam, et imprimis eorum de legibus effata, intelligenda maximi esse momenti nemo dubitabit.

## § IV.

### *Veterum, imprimis Platonis, de vinculis civitatis sententia.*

Philosophiae et poeseos arctissima fuit antiquitus conjunctio, et tantum abest ut summus Graecorum philosophus Plato illam conjunctionem improbaret, ut, qui ipse juvenis poesin tractaverat, in philosophando hanc artem saepius adhiberet (2. Haud mirum igitur si poetarum more mythos et fabulas quasdam fingebat subinde, ut sua placita melius declarare et exponere posset, in quibus haud minima habenda illa est, quam Pla'o Protagoram Sophistam fecit

(1) Cicero de republ. I. 40.

(2) Wyttenb. epist. ad Cl. Heusd. p. 41. Cl. Heusdii Initia I, p. 141-171. Garve, beoordeeling der stelsels van zedekunde, bl. 28.

narrantem, qua antiquarum civitatum vincula egregie indicavit. Epimethei levitate, sic narrat, homines nudi relicti erant et armis destituti quibus sibi victum quaererent suamque vitam possent defendere: quod animadvertens Prometheus, cui Dii proprie munus dederant ut dona animalibus omnibus distribueret, quique hoc fratri roganti aegre concesserat, surripuit a Diis τὴν ἔντεχνον σοφίαν; sed ne sic quidem homo nec contra feros nec contra alios homines satis erat instructus: ὅτ᾽ οὖν ἀθροισθεῖεν, ἠδίκουν ἀλλήλους, ἅτε οὐκ ἔχοντες τὴν πολιτικὴν τέχνην, ὥστε πάλιν σκεδαννύμενοι διεφθείροντο. Ζεὺς οὖν δείσας περὶ τῷ γένει ἡμῶν, μὴ ἀπόλοιτο πᾶν, Ἑρμῆν πέμπει ἄγοντα εἰς ἀνθρώπους αἰδῶ τε καὶ δίκην, ἵν᾽ εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ, φιλίας συναγωγοί. Ἐρωτᾷ οὖν Ἑρμῆς Δία, τίνα οὖν τρόπον δοίη δίκην καὶ αἰδῶ ἀνθρώποις. Πότερον ὡς αἱ τέχναι νενέμηντο, οὕτω καὶ ταύτας νείμω; ἢ ἐπὶ πάντας νείμω; Ἐπὶ πάντας, ἔφη ὁ Ζεὺς, καὶ πάντες μετεχόντων, οὐ γὰρ ἂν γένοιντο πόλεις, εἰ ὀλίγοι αὐτῶν μετέχοιεν ὥσπερ ἄλλων τεχνῶν· καὶ νόμον γε θὲς παρ᾽ ἐμοῦ, τὸν μὴ δυνάμενον αἰδοῦς καὶ δίκης μετέχειν, κτείνειν ὡς νόσον πόλεως (1). Habet omnino haec Protagorae narratio, quae mira videri debeant, uti pudoris illa cum jure conjunctio et quo sensu haec civitatum vincula dici possint et ornamenta, quibus amicitia conciliatur; sed res accuratius considerantibus sponte palam fiet. Plato τὴν δίκην in hac fa-

(1) Plato Protag. p. 322 B-D.

bula memorans ea justi sensum intellexisse videtur, imo ipsam justitiam, ut idem sit quod alibi τὴν δικαιοσύνην dixit (1), ad quam declarandam palmarium suum de republica opus conscripsit, in quo hanc justitiae esse naturam ostendit, ut unusquisque unam rem pro omnibus tractaret, nec alienis sese negotiis immisceret, id agens cui natura ipsa eum aptum reddidit (2). Ita justitia non solum eo constat, ut nemini sua abripias aut nude unicuique suum reddas, sed est illa *constans et perpetua voluntas*. qua cuique id, quod jure a nobis exspectare possit, libenter tribuimus, quae, cum ceterae virtutes tacitae quasi sint et intus inclusae, sola est quae nec sibi tantum conciliata sit nec occulta, sed foras tota promineat et ad benefaciendum prona sit et quam plurimis prosit (3). Hinc Cicero liberalitatem et beneficentiam ad justitiam retulit, quam rationem dixit, qua societas hominum inter ipsos et vitae quasi communitas continetur (4). Quanto magis igitur civium societas apud antiquos! Κοινωνίαι antiquae erant civitates, ubi cives non sibi nati censebantur, sed partem

(1) Plato Protag. p. 329 C. id ipse significat. cf. Cl. Heusdii Socr. School II. p. 80.

(2) Plato republ. IV. p 435 A sqq.

(3) Lactant. Epit. c. 55 apud Majum ad Ciceron. de republ. III. 5.

(4) Cicero de offic. I 7. coll. 14, discrevit haec recentior aetas vid. Garve in anim. ad h. l. p. 89.

ortus eorum patria, partem ceteri cives sibi vindicabant (1), atque ita sine justitia civitas constare non potuit, ubi mutua abesset civium benevolentia, nec pro omnibus, sed sibi quisque operaretur et viveret. Quo autem modo ibi consensus adesset, ubi singuli sibi tantum prospicerent cives et maxima virtutis pars e civitate evanuerit? Uti enim homines hominum caussa sunt generati, ut ipsi inter se alii aliis prodesse possint, ita in hoc naturam ducem sequi debemus, communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus devincire hominum inter homines societatem (2), sic demum vera civium inter cives conjunctio exsistit, qua nulla est arctior societas. Hoc sensu jus *vinculum* et *ornamentum civitatum* Plato dixit, si nemo id sibi profuturum putaret, quod aliis nocere posset, atque ita omnes communes conferrent utilitates, nec ei est obloquutus Aristoteles, quum dixit: *ἔςι δὲ πολιτικὸν ἀγαθὸν, τὸ δίκαιον, τοῦτο δ'ἐςὶ τὸ κοινῇ συμφέρον* (3).

Quid vero de pudore dicemus, de quo idem, quod de justitia, Plato affirmavit? Memorare certe pudorem tanquam civitatis vinculum, recentiores politici non solent: nec mirum. Alia plane erat antiquarum, alia est recentiorum

(1) Cicero de republ. I. 4. Hermann Lehrb. p. 114.
(2) Cicero de offic. I. 7.
(3) Aristot. Politic. III, 12. p. 1282.

civitatum ratio. pulchri venustique studii veteres flagrabant, ad quod excitandum et alendum tota juventutis institutio pertinebat, et vix pueri literarum elementa perceperant, quin carmina poetarum legerent, in quibus multa inerant monita, narrationes, laudes, virorumque clarorum encomia, ut puer aemulatione accensus, illos imitari et talis ipse evadere gestiret (1). A pueris igitur apud antiquos in animis excolebatur acer quidam idemque certus tum honesti decorique, tum pulchri venustique sensus, quo nil non magnum, praeclarum, generosum, nil non elegans, concinnum, suave, continuo agnoscebant, vehementique amore complexebantur (2). Sponte quid pulchrum et decorum, quid turpe et inhonestum esset antiqui sentiebant. et quo magis sentiebant, eo magis eos pudere debuit, si quid, quod vel minimum ab honesto distaret, peregissent. Hinc etenim pudor et verecundia in animo oritur, si quis ejus quod turpe esse sciat, sibi sit conscius.

Et quis est qui non jam animadvertat quanta pudoris vis in antiquis civitatibus esse debuerit, in quibus omnes virtuti studere debebant, quarumque felicitas et salus moribus civium innitebatur, vere etenim Cicero: custos, inquit, virtutum omnium dedecus fugiens lau-

(1) Cl. Heusdii Initia I, p. 155 sq.
(2) Cl. Heusdii Specim. crit in Plat. Praef. p. 16.

demque maxime consequens verecundia est (1). Hanc igitur ubi cives mentibus infixam habent, fieri non potest, ut mores corrupti evadant, sed sibi quisque tum optimus custos, ne a recti tramite cedat (2), et legibus etiamsi poenae et supplicia constituantur, multo tamen magis quam his, pudore a sceleribus retinebuntur, hanc legem sibi inscriptam quasi habentes, ut multo quam poenam magis civium oculos metuant eorumque reprehensionem (3). Itaque optimum et vehementissimum ad virtutem justitiamque colendam atque exercendam incitamentum pudor est, et propterea veteres politici ut pudor a teneris inde civium mentibus injiceretur etiam etiamque praeceperunt. Ἄρ' οὖν οὐκ ἂν νομοθέτης καὶ πᾶς, οὗ καὶ σμικρὸν ὄφελος, τοῦτον τὸν φόβον ἐν τιμῇ μεγίστῃ σέβει, καὶ καλῶν αἰδῶ, τὸ τούτων θάῤῥος ἐναντίον ἀναίδειάν τε προσαγορεύει καὶ μέγιστον κακὸν ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ πᾶσι νενόμικε (4); sic Atheniensis hospes apud Platonem Cretensem Cliniam rogat, idemque deinde παισὶ δὲ, inquit, αἰδῶ χρὴ πολλὴν, οὐ χρυσὸν, καταλείπειν (5). Ipse adeo Plato sui temporis corruptelam et infelicem civitatis conditionem hinc repetitum ivit, quia homines non puduit

(1) Cicero Partitt. oratt. c. 23.

(2) Pythagoras aurea carm. vs. 11 sq. Stephani poes. Philos. p 114. Musaeus apud Stobaeum florileg. serm. 123. p. 382. Wechel.

(3) Cicero de republ. V. 4.

(4) Plato de Legg. I, p. 647 B.

(5) Plato de Legg. IV, 729 B.

amplius quod mali essent (1). Ut igitur vigeat in civitate morum honestas et civium virtus, adesse apud cives debet ἡ μὲν ἐπὶ τοῖς αἰσχροῖς αἰσχύνη, ἐπὶ δὲ τοῖς καλοῖς φιλοτιμία, οὐ γὰρ ἔστιν ἄνευ τούτων οὔτε πόλιν, οὔτε ἰδιώτην μεγάλα καὶ καλὰ ἔργα ἐξεργάζεσθαι (2).

Non fuit haec ipsius Platonis tantum sententia, sed totius antiquitatis, jus et pudorem vincula esse et ornamenta civitatum, quam antiquarum rerumpublicarum historia haud infirmare videtur, imo rem jam Homerus sensit, qui, ubi Trojani ad ipsas naves jam accessissent, Graecos non aufugisse narrat,

— ἴσχε γὰρ αἰδὼς
καὶ δέος· ἀζηχὲς γὰρ ὁμόκλεον ἀλλήλοισιν (3).

Sed Graecarum civitatum vis et conjunctio maxime in illo certamine apparuit, quo Asiae copias debellarunt, tum ducti imprimis fuerunt illâ φιλοτιμίᾳ ἐπὶ τοῖς καλοῖς et dictum illud patuit quod Plato de amicorum cohorte usurpavit: Μαχόμενοι γ' ἂν οἱ τοιοῦτοι μετ' ἀλλήλων, νικῷεν ἂν ὀλίγοι ὄντες, ὡς ἔπος εἰπεῖν, πάντας ἀνθρώπους (4). Sed haud minus pudor fuit et justi amor. quo conjungebantur, quae eos ad tanta facinora duxerunt. Hoc ipsi fassi sunt, ἡμῖν κατ' ἐκεῖνον

---

(1) Proclus ad Hesiod. p. 53 init. b. Edit. Heinsii.

(2) Plato Sympos p. 178 D.

(3) Homer. Ilias XV vs. 657 cf. Charondae dictum apud Stobaeum florileg. serm. 145, p. 168. Pudorem et jus saepius conjungunt veteres vid. Ekker de Prometh. fabula apud Plat. p. 31 sq. Plato de Legg. XII. p. 943 E.

(4) Plato Sympos. p. 179 A.

τὸν χρόνον, ὅτε ἡ Περσῶν ἐπίθεσις τοῖς Ἕλλησιν (ἴσως δὲ σχεδὸν ἅπασι τοῖς τὴν Εὐρωπὴν οἰκοῦσιν) ἐγίγνετο, πολιτεια τε ἦν παλαιὰ καὶ ἐκ τιμημάτων ἀρχαί τινες τεττάρων· καὶ δεσπότης ἐνῆν τὶς αἰδὼς δι' ἣν δουλεύοντες τοῖς τότε νόμοις, ζῆν ἐθέλομεν, φιλίαν οὖν αὐτοῖς ἐνεποίει ὁ φόβος ὁ τότε παρὼν, ἣν αἰδῶ πολλάκις εἴπομεν (1). Hoc tempore Atheniensium civitas, et vero tota Graecia, a tyrannis liberata, maxime floruit (2): et initio belli Peloponnesiaci Archidamas Spartanorum fortitudinem ex studio illo et sensu, quo dedecus vitabant, derivavit (3): nec Pericles affirmare dubitavit διὰ δέος μάλιστα οὐ παρανομοῦμεν (4). Sed deinde illa αἰσχύνη καὶ αἰδὼς apud plurimos Graeciae populos evanuit una cum morum integritate, quo factum ut, vinculis solutis, ipsae civitates omnem suam vim amiserint. Cum vero Thebarum postea civitas et genus Aeolicum, post Iones et Dores, vires suas explicare et vigere incepit, et sub Epaminondae et Pelopidae auspiciis ipsam sibi Spartam tantum non subjecit, tum sacra illa cohors aderat, pudore et φιλοτιμίᾳ conjuncta, quae sua virtute ostendit τὸ ἐξ ἐρωτικῆς φιλίας συνηρμοσμένον στῖφος, ἀδιάλυτον εἶναι καὶ ἄῤῥηκτον, ὅταν οἱ μὲν ἀγαπῶντες τοὺς ἐρωμένους, οἱ δ' αἰσχυνόμενοι τοὺς ἐρῶντας, ἐμμένωσι τοῖς δεινοῖς ὑπὲρ ἀλλήλων (5), nam cum

---

(1) Plato de Legg. III, p. 698-699 C.

(2) Herodot. V. 66.

(3) Thucyd. I. 84. vid. ibi Goeller. p. 182.

(4) Thucyd. II. 37.

(5) Plutarch. vit. Pelop. c. 18. p. 287.

Philippus apud Chaeroneam Graecos vicisset, lacrymans fertur trecentorum illorum cadavera adspexisse, qui mortem vitae infamia notatae praeposuerant. Tanta fuit pudoris vis apud Graecos, nec mirum αἰδῶ καὶ δίκην eos tanquam Deas coluisse (1).

Sed apud Romanos quoque eadem animadvertimus, jus quiritium vinculum erat, quod cives conjunxit et illa φιλοτιμία ἐπὶ τοῖς καλοῖς summa apud eos fuit. Regibus exactis, incredibile memoratu est, quantum civitas brevi creverit, tanta cupido gloriae incesserat, gloriae maximum certamen inter juvenes erat, sic quisque hostem ferire, murum adscendere, conspici dum tale facinus faceret, properabat, eas divitias, eam bonam famam, magnamque nobilitatem putabant; laudis avidi, pecuniae liberales erant (2), saepius inhonestam pacem Senatus rejecit et quos Hannibal ceperat redimere noluerunt, quia eos arma deseruisse non puduerat, tantaque fuit in Julio Caesare φιλοτιμία, ut Alexandri statuam adspiciens lacrymas non teneret (3). Sic Platonica illa sententia jus et pudorem vincula esse et ornamenta civitatis ipsa historia confirmatur, sunt enim hae dotes ac facultates, hi sensus divini, quibus unus in ceteris animalibus omnibus praeditus

(1) Eustathius ad Iliad. T. IV, p. 255 edit. Lipsiens.

(2) Sallust. B. C. c. 7.

(3) Sueton. vit. Caes. c. 7.

est homo, et uti in homine haec attendenda et accurate exploranda sunt, anteaquam ad summam illam hominis facultatem, *rationem*, accedamus, ita in civitate quoque haec exquirenda fuerunt anteaquam ad legem, quae civitatis est ratio, accedere licuit (1).

Haec de antiquae politicae universis principiis animadvertenda habuimus, ut ita, quaenam sequuti fuerint antiqui legislatores et politici in civitatum institutione, magis pateret. Ceterum uti in omni disputatione de antiquis, ita maxime ubi de eorum arte civili agitur, cavendum est, ne nostri aevi opiniones iis obtrudamus. Vivebant enim ea aetate, qua genus humanum juvenilem, ut ita dicam, aetatem attigisset, et, prouti homo tum maxime communitatis et aequalitatis studio flagrare solet, summaque ducitur aemulatione et gloriae amore, eadem vigebant in antiquis civitatibus studia. Numquam eo pervenerunt orientales, ut tales *respublicas* conderent, vixerunt semper sub unius imperio, sed apud Graecos primum exarsit fraternae cujusdam conjunctionis studium, quod quo magis Atheniensium, Spartanorum, Romanorum regiminis formam attenderimus, eo magis nobis patebit.

---

(1) Cf. Ekkeri specimen de fabula Prom. apud Plat. p. 85-122.

## SECTIO ALTERA.

*Legum fontes, natura, auctoritas ex antiquorum maxime placitis, exponuntur.*

### § I.

*Antiquorum de Lege Naturae effata et opiniones.*

Multum omnino abfuit, ut antiqui quasvis faciendi quid aut omittendi normas Leges reapse dicendas putarent. Jam vero Cicero inquit, illud stultissimum, existimare, omnia justa esse, quae scita sint in populorum institutis aut legibus. Etiamne si quae leges sint tyrannorum? Si triginta illi Atheris imponere voluissent? Aut si omnes Athenienses tyrannicis legibus delectarentur, num idcirco hae leges justae haberentur (1)? Talia instituta veteres quovis alio ac Legum nomine dicenda arbitrabantur (2), quique eos ab his liberasset, hunc summis laudibus efferre solebant; non repetebant jus ab unius auctoritate, sed fontem in ipso homine exquirebant, in ejus animo reperiebant justi injustique notionem, quam ex summa illa aeternaque lege derivantes, illam

(1) Cicero de Legg. I. 15 cf. II. 5. Aristot. Polit. III. 10. p. 1271. Cicero de invent I. 38.

(2) Xenoph. Memor. I. 2. 44.

omnis juris omniumque legum fontem esse voluerunt.

Jus una cum pudore veteres vincula civitatis habuerunt. Non enim omnis hominum coetus quoquo modo congregatus populus est, ut ait Cicero, sed multitudinis coetus juris consensu et utilitatis communione sociatus (1), qua in re veteres pactum cogitasse non videntur, sed multo magis illam justi notionem, quae homini inest et qua omnes esse imbutos jam fabula Promethei apud Platonem nos docuit, ubi Jupiter Mercurio respondet: non huic et alteri tribuas τὴν δίκην τε καὶ αἰδῶ, ἀλλὰ ἐπὶ πάντας καὶ πάντες μετεχόντων. Omnibus igitur haec justi injustique notio inest, ut eam non legibus tantum et institutis acceperimus, sed in animo sponte sentiamus. Ac naturae quidem jus est, inquit Cicero, quod nobis non opinio sed quaedam innata vis afferat (2), atque nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi nos ad justitiam esse natos, neque opinione, sed naturâ esse jus (3). Hoc jus naturale veteres omni constituto jure antiquius habuerunt illudque hujus esse fontem et principium perhibuerunt, nec e juris notione *subjectiva*, ejusdem notionem *objectivam*, quae dicitur, explicuerunt, sed ortum illud dixe-

(1) Cicero de republ. I. 25. Cf. Heusdii Socrat. School II, p. 94 sqq.

(2) Cicero de invent. II. 22.

(3) Cicero de Legg. I. 10.

runt non ex scitis aut jussis populorum, sed ex lege illa sempiterna, ex ratione illa summa insita in natura, quae jubet ea quae facienda sint, prohibetque contraria (1). Intellexerunt ita jam veteres hanc justi notionem, quae in animo inest, cum ipsa ratione hominis maxime esse conjunctam, quia haec ejus appetitus et cupiditates retinere, eum ad justum incitare, avocare ab injusto possit, imo hanc ipsam rationis nostrae actionem, qua illa ab eo, quod injustum est, nos abducat, respicientes de Lege Naturae ita loquuti sunt, ut eam Rationem dicerent. τὶς οὖν ἄρξει τοῦ ἄρχοντος; rogat Plutarchus et reponit, ὁ νόμος, ὁ πάντων βασιλεὺς, θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων, ὥς φησι Πίνδαρος (2), οὐκ ἐν βιβλίοις, ἔξω γεγραμμένος, οὐδέ τισι ξύλοις, ἀλλ' ἔμψυχος ὢν ἑαυτῷ λόγος, ἀεὶ συνοικῶν καὶ παραφυλάττων καὶ μηδέποτε τὴν ψυχὴν ἐῶν ἔρημον ἡγεμονίας (3). Sic non quis servo opus habet, qui eum officii sui admoneat, qualis quotidie regi Persarum acclamabat, eorum esset memor, quae ipsi Deus peragenda imposuisset, τοῦ δὲ πεπαιδευμένου καὶ σωφρονοῦντος ἄρχοντος ἐντός ἐστιν ὁ τοῦτο φθεγγόμενος ἀεὶ καὶ παρακελευόμενος (4). Sic factum, ut

---

(1) Cicero de Legg. I. 6. cf. Stoicorum sententia apud Stobaeum serm. 145. p. 456. 44. Wechel. et Eclog. Eth. II. p. 178. Cant.

(2) Vid. Heynii Edit. Pind. III. p. 76 sqq. J. L. W. DE GEER, diatr. laud. p. 22. Stallbaum ad Plat. Gorg. p. 484 B.

(3) Plutarch. ad princip. inerud. p. 464. Edit. Froben. T. IX. p. 120. Reisk.

(4) Plutarch. l. l.

veteres naturae legem rectam rationem vocarint, quae a Deorum numine tracta honesta imperat prohibetque contraria (1) Cum scilicet homo solus ex tot animantium generibus atque naturis particeps rationis sit et cogitationis, cum Divina natura maxime est cognatus, quoniam enim ratione nihil est melius, ea et in homine et in Deo est, inter quos autem ratio, inter eosdem recta ratio communis est, quae Lex est (2). Hinc factum, ut a Deo hanc naturae legem repeterent, inque coelo eam natam perhiberent, imo eam mentem summi Dei omnia ratione jubentis aut vetantis dixerunt, atque hanc antiquitus celebratam sententiam videmus, eam aeternum esse quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia, principem hanc esse legem et ultimam mentem omnia ratione cogentis aut vetantis Dei, quae non tum incipit demum lex esse cum scripta est, sed tum cum orta est, orta autem simul est cum mente divina (3). Ὁ μὲν οὖν Ζεὺς οὐκ ἔχει τὴν Δίκην πάρεδρον ἀλλὰ αὐτὸς Δίκη καὶ Θέμις ἐςὶ καὶ νόμων ὁ πρεσβύτατος καὶ τελειότατος (4).

Hac via antiqui de Lege naturae, tanquam recta ratione philosophati sunt, et imprimis Cicero multis locis eam celebrat, ejusque na-

(1) Cicero Philipp. XI. 12.
(2) Cicero de Legg. I. 7.
(3) Cicero de legg. I. 4.
(4) Plutarch. ad prin. inerud. p. 464. T. IX. p. 123 Reisk.

turam explicare studet: Est enim non scripta sed nata Lex, sic ad judices pro Milone dicens inquit, quam non didicimus, accepimus, legimus; verum ex ipsa natura arripuimus, hausimus, expressimus; ad quam non docti sed facti, non instituti sed imbuti sumus (1). Tum vero imprimis celebri illo fragmento, ubi divina paena voce, ut Laetantius ait, hanc coelestem legem depinxit: Est quidem vera Lex recta ratio, naturae congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quae vocet ad officium jubendo, vetando a fraude deterreat, qnae tamen neque probos frustra jubet aut vetat, nec improbos jubendo aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet; neque tota abrogari pôtest. Nec vero aut per Senatum aut per populum solvi hac lege possumus, neque est quaerendus explanator aut interpres ejus alius. Nec erit alia Lex Romae, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed et omnes gentes et omni tempore una Lex et sempiterna et immutabilis continebit, unusque erit communis quasi magister et imperator omnium Deus. Ille hujus legis inventor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet ac naturam hominis aspernatus hoc ipso luet maximas poenas, etiamsi cetera supplicia, quae putantur, effugerit (2).

(1) Cicer. pro Milone c. 4.

(2) Cicero de republ. III. 22. Lactant div. instit. VI. 8.

Professisse in his multum Cicero a Stoicis dicitur, qui accuratius de lege naturae quam vocabant sunt philosophati, et sine dubio hausit Cicero multa e Chrysippi aliorumque scriptis, in describenda hac lege vera atque principe (1), verum signum Plato sustulerat qui *τὸν θεῖον νόμον* jam celebravit (2), imo ille jam plane rem significavit celebri illo loco, ubi hominem proponit, duo sibi opposita in animo habentem, voluptatem et dolorem, et praeterea opiniones de rebus futuris, quae modo huc modo illuc eum abstrahere conantur, *ἐπὶ δὲ πᾶσι τούτοις, λογισμὸν, ὅ, τι ποτ᾽ αὐτῶν ἄμεινον ἢ χεῖρον, ὃς, γενόμενος δόγμα πόλεως κοινὸν, νόμος ἐπωνόμασται* (3). Tum vero humani animi affectus funiculis comparat, quibus imagines moventur et quae saepe in contrarium eas rapiunt, horum uni Plato dicit obsequendum esse prae omnibus aliis, *ταύτην δ᾽ εἶναι τὴν τοῦ λογισμοῦ ἀγωγὴν χρυσῆν καὶ ἱερὰν, τῆς πόλεως κοινὸν νόμον ἐπικαλουμένην.* Cum his autem si comparantur ea, quae Plato aliis locis dicit, *ὀρθὸν λόγον* memorans, vix puto dubium fore, quin ista Stoici, a quibus sua Cicero, sed Plato-

---

(1) Turnebus ad Ciceron. de Legg. I. 6. p. 329. Ed. Rath. et in Apologia init. cf. Gratama de Cicer. Libr. de Legg. et de rep. p. 45 sq. d'Engelbronner de loco Ciceron. qui est de Legg. p. 24 sqq.

(2) Plato de Legg. IV. p. 716 A. cf. Wytt. ad Plut. de S. N. V. p. 73. de hoc Platonis loco.

(3) Plato de Legg. I. p. 644 D.

nem respiciens semper hausit, articulatim distincteque contraxerint, quae veteres, praesertim Plato, fuse ac libere disputavissent (1). Et jam ante Platonem Sophocles celebravit νόμους

— ὑψίποδας οὐρανίαν δι'
Αἰθέρα τεκνωθέντας, ὧν ὄλυμπος
Πατὴρ μόνος, οὐδέ νιν
Θνατὰ φύσις ἀνέρων
Ἔτικτεν, οὐδὲ μήν ποτε λάθα κατακοιμάσει.
Μέγας ἐν τούτοις θεὸς, οὐδὲ γηράσκει (2).

Atque neminem subterfugere posse dixit τὰ ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα,

Οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε
Ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου 'φάνη (3).

Sed vel sic tamen primus fuit Plato, qui rite hujus legis vim et auctoritatem intelligeret, a quo deinceps omnes profecerunt qui eam exponere conati sunt. Vidimus jam Ciceronis et Plutarchi effata, sed juvat etiam ex posterioribus unum Philonem citare, qui νόμος δὲ ἀψευδὴς, ὁ ὀρθὸς λόγος, inquit, οὐχ ὑπὸ τοῦ δεῖνος ἢ τοῦ δεῖνος θνητοῦ φθαρτὸς ἐν χαρτιδίοις ἢ στήλαις ἄψυχος ἀψύχοις, ἀλλ' ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἄφθαρτος ἐν ἀθανάτῳ

(1) Sunt verba J. A. C. van Heusde Cicero φιλοπλ, p. 238-240.

(2) Sophocles Oedip. rex 838 sqq.

(3) Idem Antig. 454 sq. cavendum tamen, ne ubivis ubi Graeci memorant ἀγράπτους νόμους, legem naturae intelligamus, quum sic saepe *mores* dicantur et *consuetudines* vid. Plato de Legib. VII. p. 793 A. Goeller ad Thucyd. T. I. p. 313. Hermann Lehrb. p. 15.

διανοίᾳ τυπωθεὶς (1). Licet autem maximi ex antiquitate viri, et jus esse quoddam naturae statuerint, et id ex ratione humana exquirere sint conati, tamen jam inter veteres haud defuerunt, qui illud obstinate negarent et omnem objectivam juris notionem tollere studerent. Hi jus ex scriptis legibus derivarunt, latis, ut vitae securitati consuleretur (2), eoque progressi sunt, ut justitiam ἀλλότριον ἀγαθὸν, οἰκείαν βλάβην perhiberent. Primus, qui justum nil esse natura, sed tantum Lege, perhiberet fuit Archelaus (3), Socratis et Euripidis uti volunt magister, et Sophistae deinde avide hoc arripuerunt, qui cum nihil justum dicerent, nisi quod fortiori expediat (4), utilitatis quamdam disciplinam condiderunt, quae a Platone saepius explosa, deinde ab Epicuro assumta est, statuente, jus esse τὸ σύμφερον ἐν τῇ πρὸς ἀλλήλους κοινωνίᾳ (5). Idem quoque Carneadi placuit (6), sed vehementissime in hos alii, imprimis Cicero, invecti sunt, ut jus naturâ esse defenderent. Non potest non ratio divina, inquit,

(1) Philo Jud. omn. probum esse liberum p. 872 B. operum editionis anno 1640. Aristoteles obscurius de Lege naturae loquutus est; vid. loca laud. a Krug Geschichte der Alt. Phil. p. 272. et imprimis de morib. ad Nicom. L. V. c. 10. p. 50 F. et Jeniseh in hujus libri versione p. 174 sqq.

(2) Plato de Legg. X. p. 889 E. 890 B.

(3) Vid. Bruckeri Hist. Crit. Phil. VI. p. 521. Krug. l. l. p. 93.

(4) J. L. W. DE GEER diatr. 1. p. 16 sqq.

(5) Bruckeri Hist. Crit. Phil. I. p. 599. 312. Krug. ll. p. 313.

(6) Roulez in annal. Acad. Gandav. 1823-24. p. 43 sqq.

hanc vim in rectis pravisque sanciendis habere; nec, quia nusquam scriptum erat, ut contra omnes hostium copias in ponte unus adsisteret, a tergoque pontem interscindi juberet, idcirco minus Coclitem illum rem gessisse tantam, fortitudinis lege atque imperio, putabimus. Nec si regnante Tarquinio nulla erat Romae scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiae Tricipitini filiae, attulit (1). Quod si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum jura constituerentur, jus esset latrocinari; jus, adulterare; jus, testamenta falsa supponere, si haec suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. Cur, cum jus ex injuria Lex facere possit, bonum eadem facere ex malo non possit? Atqui nos legem bonam a mala nulla alia nisi naturae norma dividere possumus. Nec solum jus et injuria a natura dijudicatur, sed omnino omnia honesta et turpia (2). Sic Cicero: in quibus Stoicos, contra Epicurum disputantes, sequutus est; sed praeterea animadvertisse etiam ille videtur illum hominis sensum, quo, ubi quid mali peregerit, excruciari solet, et quem *conscientiam* solemus dicere, haud obscure juris absoluti quandam notionem indi-

(1) Cicero de Legg. II. 4.

(2) Cicero de Legg. I. 16. hoc argumentum data opera Cicero tractat Libr. III. de republ. vid. Majus in introd.

care. At vero, inquit, scelerum in homine atque impietatum nulla expiatio est. Itaque poenas luunt, non tam judiciis, quam ut eos agitent, insectenturque furiae, non ardentibus taedis, sicut in fabulis, sed angore conscientiae. fraudisque cruciatu. Quodsi homines ab injuria poena, non natura arcere deberet, quaenam sollicitudo vexaret improbos, sublato suppliciorum metu (1)? Sic igitur maximi antiquitatis philosophi et esse jus naturâ, quod aeterna illa Lex constituit, et summam ejus esse auctoritatem statuerunt, atque hanc legem, unam, simplicem et aeternam, qua omnes tenemur, omnium reliquarum legum, quae scripto consignantur, esse principium et basin (2), nec anxie quaesiverunt num et quomodo Ethices et juris principium differret, sed, uti totius artis civilis principium doctrina fuit moralis, ita moralem imprimis hominis naturam in legibus suis ferendis attenderunt, et discrimen legum moralium et civilium nunquam apud veteres tantum esse putabatur, quantum nos existimamus. Commune earum principium in homine ponebant, justi injustique sensum, quo quid aliis concedere, quid sibi tribuere possit intelligit, quem sensum

(1) Cicero de Legg. I. 14 cf. pro Roscio Amerino c. 24. Stobaei Serm. 106. p. 319 Wech. Seneca Epist. 44. p. 456 A. Ed. Lips. van Ghert de poen. mort. necess. p. 33.

(2) Cf. Cicero de offic. III. 5-6.

cum a ratione repeterent, rectam rationem, naturae Legem omnium legum principium praedicarunt.

## § II.

### *Quaeritur de Necessitudine inter Legem Naturae et Leges scriptas, quam veteres statuerunt.*

Quum quodvis jussum et decretum, quod aliquid faciendum, omittendumve praescriberet *Lex* νόμος diceretur, latissime patentem hujus vocabuli significationem magis deinde Philosophi limitarunt, ita ut legem esse dicerent, quae ad salutem civium civitatisque incolumitatem atque vitam hominum quietam et beatam scripta esset (1). Hinc non male Demosthenes legem vocavit ἐπανόρθωμα τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκην κοινὴν, καθ᾽ ἣν προσήκει ἅπασι ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει (2). Et Aristoteles ὁ νόμος ἐστὶ λόγος ὡρισμένος καθ᾽ ὁμολογίαν κοινὴν πόλεως, μηνύων, πῶς δεῖ πράττειν ἕκαστα (3). Scilicet antiqui rectam rationem summam Legem dicentes, ex mente et ratione prudentis leges scriptas derivarunt (4), et cum ea sit optima civitas ex cujus instituto quisque

(1) Cicero de Legg. II. 5. cf. Gratama de Cicer. Phil. de jure, civit. et imper. princ. p. 91 sqq.

(2) Demosth. I. in Aristog. L. 2 ff. de legibus.

(3) Aristot. Rhet. ad Alex. c. 1. p. 469 D.

(4) Cicero de Legg. I. 6. II. 4. ibiq. Dav.

optime et beatissime agat, jussa ac vetita populorum vim habere debent ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi: quae vis non modo senior est, quam aetas populorum et civitatum, sed aequalis illius, coelum atque terras tuentis et regentis Dei (1), atque intelligi oportet eos, qui primum ejusmodi scita sanxerint, populis ostendisse, ea se scripturos atque laturos, quibus illi adscitis susceptisque, honeste beateque viverent: quaeque ita composita sanctaque essent, eas videlicet leges nominarunt. Ex quo intelligi par est, eos, qui perniciosa et injusta populis jussa descripserint, cum contra fecerint quam polliciti professique sint, quodvis potius tulisse, quam leges: ut perspicuum esse possit, in ipso nomine legis interpretando inesse vim et sententiam justi et juris legendi (2). Sic Cicero voluit, ut, quod ratio in homine, idem Lex esset in civitate, quae ad officium incitaret, avocaret a peccatis, publice omnibus denuntians, quod ratio intus bene cordatum sponte monet: si igitur multa perniciose, multa pestifere sciscuntur in populis, haec non magis legis nomen attingunt, quam si latrones aliqua consessu suo sanxerint, nam neque medicorum praecepta dici vere possunt, si quae inscii imperitique pro salutaribus mortifera con-

(1) Cicero de Legg. II. 4:
(2) Cicero de Legg. II. 5.

scripserint, neque in populo lex, cuicuimodi fuerit illa, etiamsi perniciosum aliquid populus acceperit (1). Lex igitur non est tyranni aut aestuantis multitudinis jussum, sed rectae rationis effatum, illa quid justum sit investigat, dijudicat, decernit (2). Sic instituta populorum, cum lege aeterna conjuncta sunt, quae cum sit universa et una, ea quasi ejus imagines sunt, quae eam singulis dispertiantur, lex etenim scripta est oratio ἀπό τινος φρονήσεως καὶ νοῦ (3), imo legem Aristoteles dixit ἄνευ ὀρέξεως νοῦν, mentem nulla cupiditate abductam (4).

Sed imprimis fuit Plato, qui hanc legum scriptarum cum naturae lege necessitudinem perspexerit, eamque acute et dilucide ex intima sua philosophia explicuerit. Sublimis est apud eum doctrina, quam de Ideis proposuit, sed simul simplex, et ad hominis naturam tota accommodata, quamquam jam antiquitus haud defuerunt, qui aliter de ea existimarent (5). Sunt Ideae apud eum τὰ ὄντα, ea, quae *sunt*, non esse *videntur*, non alio tempore alia, sed

(1) Cicero l.l.

(2) Cf. Gratama Ciceron. phil. de jure etc. p. 58 sqq. d'Engelbronner de loco Ciceron. qui est de Legg. p. 50.

(3) Arist. de Morib. X. 10. p. 105 F. quem locum sic vertendum puto, ut λόγος sit *oratio* non *ratio*, ut vertit Lambinus; recte sensum expressit Jenisch in hujus operis ver. Germ. p. 395: Das Gesetz ist eine unmittelbare vorschrift der sich selbst gebietenden vernunft.

(4) Aristot. de republ. IV. 14. p. 1287.

(5) Cl. Heusdii initia II. P. III. p. 24 sqq.

semper eadem, quae nisi mens nostra ad cogitandum judicandumque adhibeat, cogitare illa aut recte de rebus judicare haud potest. Inter has ideas autem non solum τὸ καλὸν, τὸ ἀγαθὸν, τὸ ὅσιον posuit, verum etiam τὸ δίκαιον, et justum ipsum per se maxime celebravit, et, ut non de pulchris rebus, sed de ipso pulchro egit: de ipso bono, non de rebus bonis quaesivit; ita justum non id, quod legibus constituitur scriptis, sed αὐτὸ τὸ δίκαιον, αὐτὸ καθ᾽ αὐτὸ ὂν semper loquebatur, et, ut civitates administrarentur recte ad civium et reipublicae salutem, legislatoribus non tantum praecepit, ut optimas leges conderent, verum etiam, ut mentis aciem ad ipsum illud justum converterent illudque semper intuerentur, hanc unice viam judicans, qua ad optimas et vere sic dicendas leges quis pervenire possit. Quod nisi fiat, qua in re a coeco diversus erit legislator? Ἢ οὖν δοκοῦσί σοι, inquit, τυφλῶν διαφέρειν οἱ τῷ ὄντι τοῦ ὄντος ἑκάστου ἐστερημένοι τῆς γνώσεως, καὶ μηδὲν ἐναργὲς ἐν τῇ ψυχῇ ἔχοντες παράδειγμα, μηδὲ δυνάμενοι, ὥσπερ γραφεῖς, εἰς τὸ ἀληθέστατον ἀποβλέποντες, κἀκεῖσε ἀεὶ ἀναφέροντές τε καὶ θεώμενοι ὡς οἷόν τε ἀκριβέστατα, οὕτω δὴ καὶ τὰ ἐνθάδε νόμιμα καλῶν τε πέρι καὶ δικαίων καὶ ἀγαθῶν τίθεσθαί τε, ἐὰν δέῃ τίθεσθαι, καὶ τὰ κείμενα φυλάττοντες, σώζειν(1). Qui autem justum ipsum suis legibus exprimere conati fuerint, illos pictoribus comparavit,

---

(1) Plato de republ. VI. p. 484 D.

qui prius omnes maculas a tabula tollere student, ut deinde in ea perfectam illam, quam mente conceperint, imaginem, exprimere conentur. Uti Phidias cum Jovem Olympium faceret, in ipsius mente, insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illam similitudinem artem et manum dirigebat (1), sic in legislatoris animo justi species adesse debet insignis, ad quam suas leges dirigat, optimas tum demum laturus τῷ θείῳ παραδείγματι χρώμενος (2). Ex his autem quae jam e Platone attulimus palam fit, quo sensu ille legem τὴν τοῦ νοῦ διανομὴν dixerit (3), quasi justi illius notionis, quam per rationem accepimus, distributionem inter homines. Sed operae pretium videtur universe hoc loco disquirere, qua ratione leges scriptae apud antiquos exstiterint, nam, vel fallor equidem, vel ex lege naturae et recta ratione illae exstiterunt, non ex hominis aut populi alicujus arbitrio.

Apud Homerum, verum illum optimumque, antiquae Graecorum conditionis auctorem nulla legum scriptarum mentio occurrit (4), nationibus praeërant reges, ἄνακτες, qui in bello summi duces, simul jus inter singulos admini-

(1) Cicero Orat. c. 2.

(2) Plato de republ. VI. p. 501 B.

(3) Plato de Legg. IV. p. 714 A.

(4) Clarke ad Iliad XX. 249. Fl. Joseph. contr. Apion. II. p. 1070 D. Edit. 1635. Hesychius in V. νόμος.

strabant, ex moribus populi et sensu justi judicantes (1). Hoc si reges agebant, ποιμένες λαῶν dicebantur, sin minus δωροδόκοις ira divina imminebat (2). Privati vero alii, Homerus inquit, sunt χαλεποί τε καὶ ἄγριοι· οὐδὲ δίκαιοι, alii contra φιλόξεινοι, καί σφιν νόος ἐςὶ θεουδής (3). Quibus verbis plane expressit, quid justitiâ tum intellectum fuerit, nimirum non illud, ut legibus quis obsequeretur, quae nullae erant, sed illa animi lenitudo et aequitas erga omnes, quae arcte est cum pietate conjuncta (4), quaeque a ratione, omnibus jus tribuente, proficiscitur.

Deinde vero, quo magis communitatis societatisque studium una cum libertatis ardore apud Graecos augeretur, et quo plures exsisterent civitates, eo major erat certarum legum necessitas: tum legislatores exstiterunt, homines morali imprimis disciplina insignes (5), qui non id agebant, ut nova omnia inducerent, sed ut antiqua conservantes, omnia ex justo et aequo ordinarent et confirmarent, et si quae nova sanxissent, ut haec justa essent

(1) Aristot. Polit. III. c. 14. p. 268 F. Terpstra antiq. Homeric. p. 83.

(2) Wachsmuth l.l. I. 1. p. 88-9: II. 1. p. 8.

(3) Homer. Odyss. VIII. 575.

(4) Cf. leges illae antiquae Atticae Γονεῖς τιμᾶν, θεοὺς καρποῖς ἀγάλλειν, Ζῶα μὴ σίνεσθαι. Meurs. Them. Att. p. 2. van de Wynpersse de Xenocrate Chalced. p. 205 sqq.

(5) Cicer. de Orat. III. 34 de republ. I. 7. Plato Hipp. maj. p. 281. C. coll. Abbing de laudib. Sol. poet. p. 7 sq.

et ratione comprobarentur. Hac ratione egit jam antiquissimo aevo Minos, cum Cretensibus leges scriberet, cui hoc tribuit Aristoteles, eum cives *bonos* facere studuisse et legibus obedientes (1), fama autem illa, eum Jovem consuluisse, nonne eo pertinet, eum non ex suo arbitrio et voluntate, sed ex rationis praeceptis i. e. ex lege naturae sua instituta derivasse? Idem deinde Lycurgus, Zaleucus, Charondas (2), Solon et quotquot legislatores nomen nacti sunt, egerunt: et duo illa capita antiquarum legum, puerorum institutio et juris administratio, ambo pertinebant, ut rationis rectae, summaeque Legis effata suam vim non amitterent, alterum summovendo illa impedimenta atque vincendo illas cupiditates, quae animum saepe a recto justoque abducant, alterum, juris nempe administrationum, ita institutum erat, ut haud facile judex corruptus, jus male reddere posset. Legi illi principi innitebantur antiquae leges, atque, quia hoc principium tam firmum fuit et aeternum, ipsae etiam tam diu vigere potuerunt, nam in animo civium, in justi officiique sensu suum fundamentum habuerunt: coaluerunt illae cum tota eorum ratione, ita ut, quod sponte omitterent, illae vetarent, nec vincula erant, quibus civis con-

(1) Aristot. de Morib. ad Nic. I: 13. p. 12 E. cf. Manso Sparta I. II. p. 98 sqq.

(2) Hermann Lehrb. p. 189. Wachsmuth I. I. p. 212.

strictus esset, sed duces, quae una cum ratione eum ad bonum, justum rectumque incitarent, legibus, ut suae voluntati, ita antiqui subjecti erant (1). Si tales non erant scriptae leges, haud diu etiam viguerunt, uti in Draconis, aliorumque legibus videmus. Sed magnum etiam sic exstitit discrimen inter leges antiquas atque illas, quibus nos uti solemus; illae enim saepius praeceptis erant similiores et brevibus sententiis absolvebantur, quas ῥήτρας (2), dixerunt, quaeque non certam juris disciplinam constituerunt, sed praecepta fere de vita agenda, de puerorum educatione, pietate erga Deos et parentes fuerunt, tum vero maxime justitiam et aequitatem et commendabant, et tuebantur (3), ut haud minus ad moralem quam ad civilem rationem compositae essent,

---

(1) Praeclare Wachsmuth l.l. I. 1. p. 205: die Gesetze sollten nicht sowohl über dem Staatsleben erhaben, durch die ihnen gegeben Macht auf dieses so weit einwirken, dass es eine aussere politische Form und Ordnung erhielte, unter der im Innern eine andere Richtung des denkens und wollens statt finden mögte, als vielmehr eine dem Gesetze innigst geeinte Lebenstimmung aus dem Gemüthe erzeugt werden, der Sinn des Gesetzes im Sinn des Bürgers sich abspiegeln, und in dessen handlen darstellen: mit den gesammten sittlichen Regungen sollten die Gesetzlichen Vorschriften, wie zu naturlichen Gefühl verwachsen, und so der Bürger dem Gesetze nich anders, als seinem eigenen wollen untergehen seyn.

(2) Cf. Hermann Lehrb. p. 61.

(3) Cf. leges Charondae et Zaleuci apud Diod. Sic XII. 17. p. 491. Wess. Stobaeus Floril. Serm. 145. p. 457. Wech. Heyne Opuscul. VII. p. 1-130. Hermann Lehrb. p. 189 sqq.

illudque imprimis veteres studuerunt ut nempe praecaverent ne peccaretur, et suis praeceptis ipsum hominem emendarent potius quam errantem punirent: ita non rarae erant leges, quibus poena nulla statuta esset, sed quae omnem vim persuadendo acciperent, cum animum meliorem reddere, et suum rationi locum in homine vindicare deberent (1). Hinc etiam factum, ut legum scientia non propria quaedam esset disciplina, sed turpe haberetur leges nescire, atque nil tantopere curarent legislatores, quam ut a teneris inde sponte pueri has leges discerent, iisque plane imbuerentur, ut illi semper in vita haberent, quod justi injustique eos admoneret. Vetuit adeo Lycurgus, ne leges suae scriberentur, ne juvenes earum discendarum laborem pertaesi, mox eas obliviscerentur (2). Excitabant ita hae leges et acuebant in civium animis justi sensum et amorem, omnesque adeo ad justitiam ducebantur. Eadem res apud Romanos obtinuit, qui pueri, ad Ciceronis usque aetatem, leges XII

---

(1) Plato de Legg. IX. p. 862 D. Wachsmuth l.l. I. 1. p. 206. Darin erscheint die Hellenische Gesetzgebung in einem, den heutige Verhaltniss der Ethik und Politik fremdartigen Charakter, dass die Bürgerlichen Gesetzen zwar aus Ethisch-religiösen Beweggründen empfohlen, die letzteren aber nicht aus einer andern Quelle, als die man dem Staatsrechte gab, abgeleitet wurden.

(2) Craglus de republ. Lac. III. p. 169. cll. Wolf Prolegg. ad Hom. p. 66. Wachsmuth l.l. I. 1. p. 208. Aristot. Problem Sect. 19. p. 588 C.

tabularum, ut carmen necessarium ediscebant (1). Ante has tabulas leges regiae adfuerant (2), nec Decemviri legum inventores fuerunt, sed primarium eorum munus erat, ut colligerent jura jam vigentia; deinde ex iis seligere debebant, quaecunque in posterum vim legis habitura essent, et certo constituere, quae antea arbitraria fuerant (3). Quae sponte ex justi sensu exstiterant instituta, ea legibus confirmarunt et sic factum fuit, ut si quem ista praepotens et gloriosa philosophia delectaret, hosce haberet fontes omnium disputationum suarum, qui jure civili et legibus continentur, nam fremant omnes licet, Cicero ait, dicam quod sentio, bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare (4). Deinde ex rudibus istis initiis exstitit jurisprudentia illa exculta Romanorum, verum semper hae leges fundamentum et basis omnis juris manserunt, quae ex acerrima illa justi injustique notione, qua Romani valuerunt profluxisse videntur (5).

---

(1) Cicero de Legg. II. 23:

(2) Cff. laudati a Majo ad Ciceron de rep. II. 14. Rosin. Antt. Rom. VIII. 4.

(3) Den Tex, de antiq. juris princip. constanter servatis, p. 53.

(4) Cicero de Orat. I. 43-44.

(5) Cf. Niebuhr. Röm. Gesch. II. p. 349; sqq. Hullmann. Römische Grundverfassung, p. 199.

Hoc fuit imprimis praeclarum apud veteres, quod omnia ita ex hominis animo, ejusque natura explicare studerent, et sine dubio inde plurima sunt repetenda, ibi fons multarum rerum latet, qui neglectus in maximos errores saepe induxit. Neque obscuram quandam et vix intelligendam legis definitionem proposuerunt veteres, sed a recta ratione legem derivantes, quam Deo hominique communem, aeternam legem celebrabant, leges scriptas hujus quasi imagines, esse voluerunt; atque ergo Lex est, inquit Cicero, justorum, injustorumque distinctio, ad illam antiquissimam et rerum omnium principem expressa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quae supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos (1).

## § III.

*Quaeritur de vi, quam mores in leges apud antiquos exercuerint.*

Ex iis, quae antea de optima civitatis conditione dicta sunt, facile intelligitur, quam late in antiquis civitatibus morum vis patuerit, quae, quo hi essent meliores, eo majore felicitate gaudebant. Verum uti singuli homines

---

(1) Cicero de Legg. II. 5. Montesq. Esprit des Loix I. 3. La Loi en général, est la raison humaine, en tant quelle gouverne tous les peuples de la terre; et les loix Politiques et civiles de chaque nation ne doivent être, que les cas particuliers, où s'applique cette raison humaine.

diversam indolem habere solent. variisque studiis ducuntur et alii aliis rebus a pueris inde operam dant; sic gentes quoque singulae characterem quendam habent, suntque studia, quae certo populo magis, quam aliis placent: unde etiam varietas illa morum et consuetudinum oritur, quam apud gentes animadvertere licet, quae non ita moralem populi conditionem spectat, quae vel bona vel mala non nisi gradu differre possit, sed quae ad consuetudines et avitam agendi rationem refertur, quae accommodata esse solet gentium indoli et characteri. Illud morum discrimen etiam inter Graeciae gentes haud defuit, quarum aliae, imprimis Spartani, bellicosiores et rudiores erant, aliae molliores et cultiores evaserunt, quod quidem non potuit non magnam vim in Legibus habere. Homo etenim ita est comparatus, ut quae a pueris inde facere est consuetus, haud facile omittat, et quae moribus repugnent, qui cum ejus indole arctissime cohaerent, non nisi aegre ferat, nec nisi coactus senex consuetudinem omittat, quam puer assumpsit. Hinc Horatius:

*Fingit equum tenera docili cervice magister*
*Ire viam, qua monstret eques. — Nunc adhibe puro*
*Pectore verba puer, nunc te melioribus offer;*
*Quo semel est imbuta recens, servabit odorem*
*Testa diu* (1). —

(1) Horat. Epist. I. II. 64.

Eadem autem et gentium et civitatum est ratio, et si singuli aegre ea ferant, quae suis moribus repugnent, quanto minus totus populus iis legibus obtemperare sustinebit, quae indoli non conveniant? Quod imprimis antiquis grave esse debuit, apud quos scriptae leges tum demum invaluerunt, postquam diu suis moribus vixerant, atque hi mutari non possent, nisi simul tota vivendi agendique ratio converteretur.

Haec omnia antiqui philosophi et legislatores optime perspexerunt, et ita leges firmas esse non posse affirmarunt, nisi moribus convenirent. Ὁ δὴ νόμος, inquit Aristoteles, ἰσχὺν οὐδεμίαν ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι, πλὴν παρὰ τὸ ἔθος (1). Quocirca ad incolumitatem civitatis et legum constantiam imprimis valere arbitrabantur, si antiqui mores illaesi servarentur, τὸ γὰρ ἦθος τῆς πολιτείας ἑκάστης οἰκεῖον καὶ φυλάττειν εἴωθε τὴν πολιτείαν καὶ καθίστησιν ἐξ ἀρχῆς (2). Non tamen ab altera parte antiqui, quosvis mores in civitate tolerandos esse putarunt, sed ut aliud est moribus repugnare, aliud eos emendare et excolere, ita alterum legislatori tantopere commendarunt, quantopere alterum reprehenderent. Cum enim civitati, eadem quae homini, sit virtus, eoque eam ducere debeat legislator, ut virtutem illam nanciscatur, mores civium

(1) Arist. Polit. II. 8. p. 1268 cf. Wachsmuth l.l. I. 1. p. 201. 205.
(2) Aristot. Polit. VIII. 1. p. 1337.

emendare et meliores reddere debet, et bona conservans et retinens, alia sensim et leniter flectere debet. Hoc antiqui legislatoris officium erat, sic cives non poenis et supplicii metu coercebat nec minis eos terrebat, ne male agerent, sed leniter educabat quasi et instituebat legibus suis (1). Cum Plato leges civitati laturus esset, voluit, ut prooemia iis praemitterentur, quibus excitarentur cives, ut libenter sese iis subjicerent, atque intelligerent, quanta legis utilitas esset (2). Ut enim citharoedi cantilenis praeludere solent, ut hominum animos ad benevolentiam flectant, sic legem qui fert, facere eam debet, ut sponte amplectantur cives. Sic Plato persuadendo homines ad legum observantiam ducere studuit, et voluit, ut ita ad consuetudinem bene agendi adducerentur, ut legibus quidquid praeciperetur, fieri sine difficultate posset et sponte bene agerent, quia bene agere erant consueti. Hac via mores emendando et conservando leges in ipsis moribus maximum fulcrum habuerunt, et, quod Archytas Pythagoreus dixit: *Δεῖ τὸν νόμον μὴ ἐν οἰκήμασι καὶ θυρώμασιν ἐνήμεν, ἀλλ' ἐν τοῖς ἤθεσι τῶν πολιτευομένων* (3),

(1) Plato de Legg. IX. p. 858 A. IV. p. 722 C.

(2) Plato de Legg. IV. p. 723 A. Non hujus loci est inquirere num Plato primus fuerit, qui talia prooëmia legibus praemitteret, cf. d'Engelbronner l.l. p. 54. Ceterum eum imitatus est Posidonius, quem reprehendit Seneca, Epist. 94 cf. Cl. Bakius de Posidon. p. 193. J. A. C. van Heusde, Cicero φιλοπλ. p. 138 sq.

(3) Loco laudato a Davis. ad Ciceron. de Legg. I. c. 6.

hoc revera sic locum habuit. Idem Horatius vidit, qui quid enim, ait, leges, sine moribus vanae, proficiunt (1)? Et omnino ubi boni mores sunt, ibi explicata vis virtutis, justitiaeque pulchritudo propius cerni possunt; et magis quoque illi commoventur ad omnia justitiae officia praestanda, quorum privatim mores severa disciplina ad virtutis amorem incitantur, ad ejusque perfectam observantiam conformantur (2).

Sed e legislatorum antiquorum ipsis institutis etiam optime efficere possumus, quam arctum esset inter leges et mores vinculum: semper enim maximam eorum curam animadvertimus, ut mores, quoad possent, integros servarent, nec nisi rarissime ad eos tollendos progrederentur. Doribus, imprimis Spartanis, gravitas quaedam et severitas propria fuit, quae effecit, ut antiqua studiose conservarent, alieni a luxuria et summa simplicitate gaudentes, sed iidem fuerunt bellicosi, rudes et haud raro crudeles, quae eorum indoles moribus plane exprimebatur (3). Quid igitur Lycurgus? hos tollere, et Spartanorum characterem mutare nec voluit nec potuit, et quamvis multa nova induxisset, cum ante eum *ἀνομία καὶ ἀταξία κατέσχε τὴν Σπάρτην ἐπὶ πολὺν χρόνον* (4), vel sic

(1) Horatius Carm. III. 24. 35.

(2) D'Engelbronner l. l. p. 30.

(3) Cf. Heeren Ideën Th. III. 1. Abth. p. 63.

(4) Plutarch. vit. Lycurg. c. 2. p. 40. Justin Histor. III. 2. Manso Sparta I. 1. p. 66-71.

tamen mores conservans, illos emendare tantum studuit (1), maxime meliore inducendâ juventutis educatione, quae accommodata esset populi naturae, et, simul cum syssitiis, egregie valeret ad cives secum invicem conjungendos, ut ita suam fortitudinem in exteros ostenderent, nec ferrum in cives verterent, uti antea factum videtur, quod ita ei cessit, ut nulla facile civitas Graeca fuerit, in qua seditiones et turbae civiles rariores essent. Servavit ita Spartanorum respublica, ab omni commercio cum peregrinis diu interclusa, suos mores et leges, quae postea simul interierunt. Quid autem futurum fuisset, si easdem illas leges Atheniensibus Solon dedisset? Iones indole et moribus toti erant a Doribus diversi; leves illi erant et mobiles nec severas leges ferre potuissent. Coactus fuit ideo Solon multa minus bona relinquere, ne nimis moribus adversari videretur (2), et populi vehementiam et ardorem magis regere, quam exstinguere fuit conatus τοῖς πράγμασι τοὺς νόμους μᾶλλον ἢ τὰ πράγματα τοῖς νόμοις προσαρμόζων (3), et cum videret fieri non posse, ut non subinde turbae civiles et factiones orirentur, constituit, ut omnes uni alterive parti sese adjunge-

(1) Cf. Hermann Lehrb. p. 58.

(2) Plutarch. Solon c. 15 p. 88.

(3) Plutarch. ibid c. 22. p. 90. cf. Solonis fragm. apud Demosth. T. II. p. 94. Stereot. Nec assentiri possum Wachsm. I. I. II. u. p. 15: Solons Gesetzgebung was nicht auf Kraft der Gewohnung berechnet etc. Cf. Hermann Lehrb. p. 223 sqq.

rent (1), recte videns sic moderatiores facilius populi impetum cohibituros esse. Tum vero, ait Plutarchus, ὁρῶν τὸν δῆμον οἰδοῦντα καὶ θρασυνόμενον, δευτέραν προσκατένειμε βουλὴν, ἑκατὸν ἄνδρας ἐπιλεξάμενος, οὓς προβουλεύειν ἔταξε τοῦ δήμου καὶ μηδὲν ἐᾷν ἀπρεβούλευτον εἰς ἐκκλησίαν εἰσφέρεσθαι(2). Ita putavit sese civitatem his duobus senatibus continere posse, uti navem in duobus ancoris stantem (3). Non opus huc aliorum legislatorum exempla advocare, aut de Romanorum legibus loqui, quae ex moribus originem fere duxerunt. Considerandae sunt ipsae legum formulae, ipsa vocabula, omnia ex ritibus antiquis orta sunt (4).

Sed eadem mores inter et leges apud antiquos cognatio, etiam in legum ratione peculiarem vim habuit. Non enim antiquos latuit, cum tantum morum esset pondus in civitate, summam etiam curam adhibendam esse, ut a teneris inde bonis moribus imbuerentur cives. Μέγιςον δὲ πάντων πρὸς τὸ διαμένειν τὰς πολιτείας, οὗ νῦν ὀλιγωροῦσι πάντες, τὸ παιδεύεσθαι πρὸς τὰς πολιτείας. ὄφελος γὰρ οὐδὲν τῶν ὠφελιμωτάτων νόμων καὶ ξυνδεδοξασμένων ὑπὸ πάντων τῶν πολιτευομένων, εἰ μὴ ἔσονται εἰθισμένοι καὶ πεπαιδευμένοι ἐν τῇ πολιτείᾳ (5), et hinc illae leges, quibus juventutis educatio

---

(1) Plut. ibid. c. 20. p. 89.

(2) Plut. ibid. c. 19. p. 88.

(3) Gillies history of Gr. II. I. p. 110. Meursii Solon p. 51.

(4) Den Tex, de princ. juris const. servat. p. 43 sqq. G. Dum Seiffen de vestigiis vitae nomad. apud Roman.

(5) Aristot. Polit. V. 9. p. 1310. Wachsmuth I. I. p. 207. II. II. p. 3 sqq.

non parentum arbitrio concedebatur, sed publica erat et certa, in qua antiqui adeo legum basin posuerunt. Quum Philopoemen Spartanorum virtutem et leges debilitare vellet, id maxime sibi agendum ratus est, ut institutionem juventutis mutaret, ut sic ipsi mores alii fierent (1). Plato autem in opere suo de republica, illud maxime felices constantesque reddere civitates dixit, si educata rite juventus esset, atque sic mores bene informarentur; idemque, ubi de Legibus senes colloquuntur, sic dicentem induxit hospitem Atheniensem, ut plane educationis vim exprimeret; Φημὶ κατὰ πάσας πόλεις, sic inquit, τὸ τῶν παιδιῶν γένος ἠγνοῆσθαι σύμπασιν, ὅτι κυριώτατόν ἐςι περὶ θέσεως νόμων, ἢ μονίμους εἶναι τοὺς τεθέντας ἢ μή· τόν τι ἀεὶ νέον καινοτομοῦντα καὶ εἰσφέροντα τῶν εἰωθότων ἕτερον κατά τε σχήματα καὶ χρώματα, τούτου πόλει λώβην οὐκ εἶναι μείζω φαῖμεν ἄν, ὀρθότατα λέγοντες· καὶ ἀνάγκη τούτους τοὺς παῖδας, τοὺς ἐν ταῖς παιδιαῖς νεωτερίζοντας, ἑτέρους ἄνδρας τῶν ἔμπροσθεν γενέσθαι παίδων, γενομένους δὲ ἄλλους, ἄλλον βίον ζητεῖν, ζητήσαντας δὲ, ἑτέρων ἐπιτηδευμάτων καὶ νόμων ἐπιθυμῆσαι (2).

Verum morum illud et legum vinculum etiam in civitatum interitu animadvertimus; nam non tantum valebant leges tum maxime, quando boni mores integri manebant, et moralis non tantum virtus, sed etiam avitae consuetudinis,

(1) Plutarch. vit. Philopoem. c. 16. p. 365.

(2) Plato de Legg. VII. p. 797 A-798 D. Aristot. Polit. II. 5. p. 1263. Cicero de Legg. II. 15.

simplicitatis et integritatis amor in civium animis inerat; verum simul atque haec evanuerunt, et peregrinorum mores una cum eorum divitiis et vitiis antiquas civitates invaserunt, legum auctoritas cito abiit: nec ulla esse potuit. Nisi enim recte agendi consuetudo quaedam hominibus insit, quae ex moribus integris oritur, frustra vis et metus adhibentur, ut officium peragant. Spartae tamdiu viguerunt Lycurgi leges, donec sensim paulatimque mali et peregrini mores irrepserant; tum luxuria, desidia et licentia invaluit, et leges desertae jacuerunt. Propterea Agidis illi et Cleomenis conatus, ut antiquas restituerent, suo effectu caruerunt (1), nam, uti refert Plutarchus: Ἐπεὶ παρεισέδυ χρυσοῦ ζῆλος καὶ συνηκολούθησε τοῦ πλούτου τῇ μὲν κτήσει πλεονεξία καὶ μικρολογία, τῇ δὲ χρήσει καὶ ἀπολαύσει τρυφὴ καὶ μαλακία καὶ πολυτέλεια, τῶν πλείςων ἐξέπεσεν ἡ Σπάρτη καλῶν καὶ ταπεινὰ πράττουσα παρ᾽ ἀξίαν διατέλει (2). Si quis Atheniensium mores, quales tempore pugnae Marathoniae erant, cum iis comparaverit, qui, bello Peloponnesiaco exeunte, obtinebant (3), haud amplius mirabitur, quare tum quotidie

(1) Remy de Arato. p. 85. 152 sqq. Manso Sparta III. I. p. 277 sqq. Wachsmuth l.l. I. II. p. 420.

(2) Plutarch. vit. Agid c. 3. p. 796.

(3) Cf. Gillies history of Gr. II. I. p. 125. Wachsmuth I. II. p. 207: Der Ausdruck des höchsten ochlokratischen Unsinn, welcher Gesetze und Recht mit Füssen tritt, offenbahrt sich in dem Pochen der Menge, dass Nichts sie hindern dürfe, zu thun was sie wolle. Xenoph. Hellen. I. 7. 12.

leges mutarentur et populus, nulla legum reverentia ductus, omnia pro lubitu ageret. Romae summa legum erat veneratio, cum mores integri domi militiaeque colebantur; sed simulac hi luxuriâ atque divitiis pessumdati essent, atque contagio haecce quasi pestilentia invasisset, civitas immutata, imperium ex justissimo atque optimo crudele intolerandumque factum (1); tum exstiterunt factiones, quibus ipsorum civium pars id ageret, ut unum civitati praeponerent, atque omnia huic tanquam tyranno redderent subjecta, sic civium conjunctio et societas apud veteres una cum moribus evanescere solebat.

Magna igitur morum apud veteres vis in legibus fuit, et antiqui legislatores revera nil aliud agebant, quam ut ea, quae antea jam moribus et consuetudine obtinuerant, confirmarent et emendarent, omnia ad summam illam rationem referentes, quam legem naturae dicere solebant; ubi enim huic adversabantur mores, tum illos leniter mutare et persuadendo cives ad justum ducere conabantur. Si Sophistae Athenis legem rem contractam habuerunt, quam homines secum invicem iniissent, ut ne sibi nocerent (2), haec certe nunquam philosophorum aut ipsarum gentium opinio

(1) Sallust. B. C. 10.

(2) Vid. Aristot. Politic. III 9. p. 1280. Sextus Empir Pyrrh. Hyp. I. 146. p. 37.

fuit. cum temperantia, modestia, atque omnis virtus in civitatibus antiquis floruit.

## § IV.

### *De Legum apud antiquos auctoritate.*

Cum veterum respublicae communitates, Κοινωνίαι, essent, quae civium studio et aequalitatis communitatisque amore continerentur, nihil certe iis accidere potuit gravius, quam si haec aequalitas et conjunctio tolleretur; quod quidem fieri necessario debuit, si unus alios cives auctoritate anteiret, eosque ita opprimeret, ut ex ejus arbitrio omnia penderent. Sic enim non amplius *ratione juris* pares erant, et fracta erat illa facultas, qua cives unice gaudebant, ut sententiam suam in foro *libere dicere* possent et in judiciis judicis munus gerere (1). Itaque veteres hominem aliquem suae civitati praepositum ferre haud poterant, et si fiebat, hunc tyrannum dicentes, summo odio persequebantur; tyrannis enim institutis, leges omnes exstinguuntur et tolluntur (2). » Tyranno, ait Cicero, neque taetrius neque foedius nec Dis hominibusque invisius animal ullum cogitari potest: qui, quamquam figura est hominis, morum tamen immanitate vastis-

(1) Arist. Polit. III. 1. p. 1275. Plato de Legg. VI. 768 A. Cicero de republ. I. 31.

(2) Cicero in Rullum. III. 2.

simas vincit belluas. Quis enim hunc hominem rite dixerit, qui sibi cum suis civibus, qui denique cum omni hominum genere nullam juris communionem, nullam humanitatis societatem velit (1)?" Atque haec dicens Cicero totius antiquitatis sententiam expressit (2), quae viros, haud improbos etiam, hanc solam ob causam quod *tyranni* essent, odio insectata est; Athenienses Pisistratum aegre tulerunt, non quia crudelis ille fuit, sed quia prae lege ille valebat: fracta tum erat civium conjunctio, eorumque vires erant debilitatae, uti sagaciter Herodotus animadvertit: Δηλοῖ δὲ οὐ καθ᾽ ἓν μοῦνον, inquit, ἀλλὰ πανταχῆ, ἡ ἰσηγορίη, ὡς ἔςι χρῆμα σπουδαῖον· εἰ καὶ Ἀθηναῖοι τυραννευόμενοι μὲν, οὐδαμῶν τῶν σφέας περιοικεόντων ἔσαν τὰ πολέμια ἀμείνους, ἀπαλλαχθέντες δὲ τυράννων, μακρῷ πρῶτοι ἐγένοντο. Δηλοῖ ὦν ταῦτα, ὅτι κατεχόμενοι μὲν, ἐθελοκάκεον, ὡς δεσπότῃ ἐργαζόμενοι· ἐλευθερωθέντων δὲ, αὐτὸς ἕκαςος ἑωυτῷ προθυμέετο κατεργάζεσθαι (3). Procul tamen abfuit, ut veteres, aequalitatem omnium civium spectantes, hanc cogitaverint, quae postea hoc nomine haud raro dicta fuit, ut omnia omnibus aequalia essent, qualis apud antiquos non magis, quam apud recentiores exstare potuis-

---

(1) Cicero de republ. II. 26. Wachsmuth l. l. II. 1. p. 20. 107.

(2) Cf. Cl. Heusdii diatr. in civitt. antiq. p. 63 sqq. Herod. V. 92.

(3) Herodot. V. 78. cff. Rovers comment. de Herod. dotib. p. 76. A. de Jongh de Herodot. phil. p. 131 sqq.

set (1), sed aequalitatem civilem laudabant, ut omnium jura aequalia essent, et pares essent ratione legum. Si enim pecunias aequari non placet, si ingenia omnium paria esse non possunt, jura certe paria esse debent eorum inter se, qui sunt cives in eadem republica (2). Hoc autem fieri tantum potest, ubi non homo aliquis ceteris civibus, sed leges omnibus praesunt, quae omnes conjungunt et arcem constituunt omnium aequalitatis et conjunctionis. Hoc in antiquis rebuspublicis obtinuit: aderat ibi Lex omnium dominus, cui omnes subjecti erant et cujus se servos gloriabantur: huic privati non magis, quam magistratus obediebant, et ad hanc omnes confugiebant, quae benevole excipiens, bonos tuebatur, puniebat malos et improbos (3), omnibus aequalia tribuens (4): legis enim haec est vis, ut scitum sit et jussum in omnes (5). Magistratus quidem aderant in antiquis illis civitatibus, sed non erant civium domini et oppressores, sed curare imprimis debebant, ut leges vim suam retine-

(1) Cicero de republ. I. 27, ipsa, inquit, aequabilitas est iniqua, cum habet nullos gradus dignitatis. cf. c. 31.

(2) Cicero de republ. I. 32. cf. Thucydid. II. 37.

(3) Leges *rem surdam et inexorabilem* vocat Livius II. 3.

(4) Praeclare Euripides legum vim apud Graecos expressit Supplic. 433 sqq.

γεγραμμένων δὲ τῶν νόμων ὅ τ' ἀσθενὴς
ὁ πλούσιός τε τὴν δίκην ἴσην ἔχει --
Νικᾷ δ' ὁ μείων τὸν μέγαν, δίκαι' ἔχων.

(5) Cicero de Legg. III. 19. Plato de Legg. IV. p. 715 C. ὀρθοὶ νόμοι, οἱ συμπάσης τῆς πόλεως ἕνεκα τοῦ κοινοῦ ἐτέθησαν.

rent, nec earum auctoritati aliquid derogaretur, erantque revera νομοφύλακες dicendi. Pulchre Plutarchus tales magistratus dixit ὑπηρετεῖν τῷ θεῷ πρὸς ἀνθρώπων ἐπιμέλειαν καὶ σωτηρίαν, ὅπως, ὧν θεὸς δίδωσιν ἀνθρώποις καλῶν καὶ ἀγαθῶν, τὰ μὲν νέμωσι, τὰ δὲ φυλάττωσιν (1). Talem civium praesidem recte dixerunt legem esse loquentem (2). Sed saepius experti etiam veteres sunt, non semper tales esse civitatis praesides; saepe enim sua auctoritate abusi sunt, ut legis imperio sese subducentes, ipsi magis imperare studerent; hinc exstitit illud antiquorum institutum, ut quotannis novi magistratus crearentur, atque omnes aliquando in privatorum numerum redirent, quo praevertere conati sunt, ne quis, sensim paullatimque gratiam populi captando, nimis sese extolleret, sperans, se nunquam redditurum esse rationes. Ἐν μὲν οὖν ταῖς πολιτικαῖς ἀρχαῖς ταῖς πλείςαις μεταβάλλει τὸ ἄρχον καὶ τὸ ἀρχόμενον, ἐξ ἴσου γὰρ βούλεται εἶναι τὴν φύσιν καὶ διαφέρειν μηδὲν (3); quare etiam illam sententiam antiquitus celebratam accepimus, illum optime civitati praefuturum, qui prius recte obedire didicerit (4). Haec igitur fuit illa, legis ratione aequalitas, quam antiqui tantopere expetebant; sic cives legibus erant secum con-

(1) Plutarch. ad Princip. V. IX. p. 121. Reisk. p. 161 Frob.

(2) Cicero de Legg. III. 1. de republ. I. 34.

(3) Arist. Polit. I. 12. p. 1259.

(4) Plato de Legg. IV. 715 D. VI. 762 E. Arist. Polit. IV. 15. p. 1299.

juncti (1), et licet divites essent alii, alii pauperes, mediocri fortuna plurimi, pares erant omnes inter se, eademque jura habebant. Leges mens erant antiquarum civitatum, et, uti corpus sine animo, sic civitas sine lege constare non potuit (2), quae quidem moribus esset accommodata et educatione confirmata, *νόμοις γὰρ καὶ ἔθεσι καὶ ἐπιτηδεύμασι πόλις συνδεῖται· ἄνευ δὲ ἀλλήλων ἑκάτερα τούτων οὐκ ἔστι μόνιμα* (3).

Praeclare hanc summam legis auctoritatem Demaratus expressit in illo colloquio cum Persarum rege Xerxe, quod nobis exquisite enarravit Herodotus. Intelligere Xerxes non poterat, quomodo tantis suorum copiis resistere Graeci auderent; et profecto hoc orientali regi mirum esse debuit, qui non civibus praeësse, sed servis imperare et ho-

(1) Praeclare Herderus Geist der Ebräisch. Poesie V. II. p. 173 sq. Je leiser und unsichtbarer die Bande sind, die eine Gesellschaft zusammenknüpfen, je mehr das Principium der Beherrschung auf ihr Gemüth wirken darf, und zwar auch im Verborgnen, ohne Zeugen, als ein Motif innerer Handlungen darauf wirken kann; endlich je mehr alle Eigenmächtigkeit, Willkühr, die Alleinbeherrschung eines oder einiger Menschen, die allemal hart fällt, dabei ausgeschlossen ist, und ein freies Nationalgesetz gleichsam auf einem sichtbaren Thron herrschet: desto edler, desto Menschenwürdiger ist die Verfassung.

(2) Ocellus Lucan. apud Stob. Ecl. Phys. p. 33 Cant. p. 337 sq. in Ocelli edit. Vizzanii, quem cf. p. 339. Sext. Empiric contra Math. II. 31. p. 295. Arist. polit. IV. 4. p. 1292, *ὅπου γὰρ μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία*, Cicero de Legg. II. 5. de republica III. 33.

(3) Plato de Legg. VII. p. 793 D.

minum numero omnia conficere solebat. Non ille sibi homines cogitare potuit, qui pro libertate, legibus, et patria pugnantes, vitam contemnerent. Tum vero Demaratus *οἱ Λακεδαιμόνιοι*, inquit, *κατὰ μὲν ἕνα μαχεόμενοι οὐδαμῶν εἰσι κακίονες ἀνδρῶν· ἀλέες δὲ ἄριστοι ἀνδρῶν ἁπάντων. Ἐλεύθεροι γὰρ ἐόντες, οὐ πάντα ἐλεύθεροί εἰσι· ἔπεστι γάρ σφι δεσπότης, Νόμος, τὸν ὑποδειμαίνουσι πολλῷ ἔτι μᾶλλον, ἢ οἱ σοὶ σέ· ποιεῦσι γῶν τὰ ἂν ἐκεῖνος ἀνώγῃ· ἀνώγει δὲ τὠυτὸ ἀεὶ* (1). Et certe non ille nimia dixit; nam ipse rex Persarum, cum ad Thermopylas accessisset, quantum legum reverentia posset, expertus est. Ibi aderat Leonidas cum ipsis illis Spartanis, quos superbus Xerxes contemserat, atque hi ipsum a Graecia arcere potuissent, si patriae proditor non aliam viam indicasset. Tum vero Leonidas cum suis civibus, vitam contemnens infamiâ redemptam, mortem dedecori praetulit, et legibus obsequi, quam turpiter vivere maluit. Mortuorum ergo heroum tumulo grata patria haec verba inscripsit, quibus perfectam eorum civilem virtutem memoraret:

*ὦ ξένε, ἄγγειλον Λακεδαιμονίοις ὅτι τῇδε*
*κείμεθα, τοῖς κείνων πειθόμενοι νομίμοις* (2).

---

(1) Herod. VII. 104. cff. Cl. Heusdius diatribe l. p. 46 sqq. Rovers comment. de Herod. dot. p. 78 sqq. A. de Jongh, de Herodoti phil. 144. Rötscher. Aristoph. und sein Zeitalter, p. 89. p. 258 sqq.

(2) Diod. Sicul XI. 33. p. 430. ibiq. Wessel. Herodot. VII. 228. Cicero Tuscul. quaest. I. 42.

Sic cives Spartae lege erant conjuncti, et ipsam tanquam dominam venerabantur, ut, quod illa juberet, omnes alacriter peragerent. Patriam servare nec Leonidas nec ejus milites poterant, recedere vero Lex vetabat, quid igitur? Pro lege sunt mortui (1), et sanguine suo eam sanxerunt. Plura etiam hoc loco exempla afferre liceret, quantopere leges venerati fuerint antiqui, sed unum afferre satis est e Platone locum, ubi ipsas leges sic loquentes induxit: ἐπειδὴ δὲ ἐγένου τε καὶ ἐξετράφης καὶ ἐπαιδεύθης, ἔχοις ἂν εἰπεῖν πρῶτον μὲν, ὡς οὐχὶ ἡμέτερος ἦσθα καὶ ἔκγονος καὶ δοῦλος, αὐτός τε καὶ οἱ σοὶ πρόγονοι; καὶ εἰ τοῦθ' οὕτως ἔχει, ἆρ' ἐξ ἴσου οἴει εἶναι σοὶ τὸ δίκαιον καὶ ἡμῖν, καὶ ἅττ' ἂν ἡμεῖς σε ἐπιχειρῶμεν ποιεῖν, καὶ σὺ ταῦτα ἀντιποιεῖν οἴει δίκαιον εἶναι (2); Ne tum quidem legibus resistere fas esse veteres putarunt, cum mali iis abuterentur, ne ita earum auctoritatem minuerent, et omnia legum obedientiae postposuerunt. Manlius filium suum interfici jussit, quia contra leges pugnaverat (3). Ut autem tantam vim et auctoritatem acqui-

---

(1) Herder, Ideën zur Phil. der Gesch T. III. p. 162. Die Grabschrift jener Spartanen die bei Thermopylä fielen:

Wandrer, sag's zu Sparta, das seinen Gesetzen gehorsam,
Wir erschlagen hier liegen.

bleibt allemal der Grundsatz der höchsten Politischen Tugend. Simile Ischolaï factum narrant Diod. Sic. XV. 64. Xenoph. Hell. VI. 5. 26.

(2) Platon. Crito p. 50 E. cf. p. 51 A.

(3) Livius VIII. 7. cf. 31 sqq. idem II. 1. annuos, inquit, magistratus *imperiaque legis*, *potentiora quam hominum* peragam. cf. Cicero de republ. II. 35.

rant leges, illae certae et immutabiles esse debent, ubi enim ipsum civitatis caput continuo mutatur, ibi ipsa civitas perturbatur, leges vim suam amittunt, quia non amplius ipsae mentem et animum civium informant, et consuetudo illa bene agendi, quae legum observantiâ sponte existit, vana fit et nulla. Non igitur miramur, omnia eo contulisse antiquos, ut leges manerent immutatae. Lycurgus inedia vitam finivisse dicitur, ut jurejurando obstrictos cives haberet, ne aliquid in legibus novarent (1): et Zaleucus nemini de nova lege ad populum ferre permisit, nisi caput laqueo immissum haberet, quo necaretur, si ejus rogatio esset antiquata (2). Instituit Solon Areopagum vel potius ordinavit, qui etiam legum curam ageret (3). Fuerunt praeterea, et Athenis, et in aliis civitatibus Thesmothetae et *νομοφύλακες*, qui non solum literas, sed etiam facta hominum observabant, ad legesque revocabant (4): ipse adeo Cleon, quamvis populi licentia legum auctoritas admodum diminuta esset, *πάντων δὲ δεινότατον*, inquit, *εἰ μὴ γνωσόμεθα ὅτι χείρεσι νόμοις ἀκινήτοις χρωμένη πόλις, κρείσσων ἐϛὶν ἢ καλῶς ἔχουσιν*

(1) Plutarch. vit. Lyc. c. 29. p 58. Manso Sparta I. 1. p. 181 sq. cf. Wachsmuth II. 1. p. 360 sq. Diod. Sicul XII. 19. p. 491. 33. p. 567. XIII.

(2) Köpke über Gesetzgeb. der Griechen p. 303 quem citat den Tex de antiq. jur. princ. p. 18.

(3) Plut. vit Solon c. 19. p. 88. Cicero de offic. I. 22.

(4) Cicero de Legg. III. 20 ibique interpp. Lusac Socrates als burger besch. p. 110 sq. cf. Plato de Legg. VI. p. 754 D.

ἀκύροις (1). Haec legum contemptio postea perdidit Atheniensium civitatem, qua de re Plato queritur: οὐκ ἔτι ἐν τοῖς τῶν πατέρων ἤθεσι καὶ ἐπιτηδεύμασιν ἡ πόλις ἡμῶν διῳκεῖτο. — τά τε γὰρ νόμων γράμματα καὶ ἔθη διεφθείρετο, καὶ ἐπεδίδου θαυμαστὸν ὅσον (2); officium itaque civis antiqui his verbis expresserunt, θεσμοῖς τοῖς ἱδρυμένοις πείθεσθαι καὶ νόμοις ἕπεσθαι τοῖς ἐγχωρίοις (3), atque Socrates interrogatus quaenam optime esset constituta civitas, respondit: ἡ μετὰ νόμον ζῶσα (4).

Quoniam igitur civium aequalitas et conjunctio his legibus ita nitebantur, illarum innovatio non potuit non totam civitatem evertere, et rite Plato: Ἐν ᾗ δ᾽ ἂν πολιτείᾳ ἀρχόμενος ᾖ καὶ ἄκυρος νόμος, φθορὰν ὁρῶ τῇ τοιαύτῃ ἑτοίμην οὖσαν (5), atque hinc factum, ut studium rerum novandarum ita aversarentur, quod ad totius reipublicae conversionem tendere putabant, et reapse etiam sic factum est; simul enim atque illud obtinere incepit, respublicae funditus perierunt, sed non ante exstitit, quam mores corrumpi coeperant; quum enim hi integri essent, ultro omnes legibus obediebant; sed

(1) Thucyd. III. 37. cf. VI. 18. 8.

(2) Plato Epist. VII. p. 325 D.

(3) Rötscher op. l. p. 92. Das Heil des Staates ruhte auf jenem einfachen Gehorsam gegen das Gesetz und alle Grösse des Subjects bestand darin, sich dieser Substanz des Staates gänzlich einzubilden.

(4) Den Tex de antiq. jur. princ. const. serv. p. 41.

(5) Plato de Legg. IV. p. 715 D. cf. Cl. Heusdii Specimen criticum p. 112 sq.

his corruptis, leges displicuerunt antiquae et novarum rerum studium omnia subvertit, quod nullibi magis apparet, quam in Atheniensium et Romanorum historia. Quum Athenienses uno die mortem Mitylenaeis decernerent, ut postridie eos absolverent (1), cum ira et cupiditatibus abduceretur multitudo, et non ferendum esse clamaret, si quis ipsam impediret facere, quae vellet, tum vigor, conjunctio, consensus civium periit; et cum Romani non legibus, sed principum voluntati subjecti essent, illi autem regnum adfectarent et quotidie novas res molirentur; tum non diu incolumis mansit respublica.

Ex his autem, quae jam attulimus, satis patet, nullam antiquitus civitatum felicitatem aut civium conjunctionem esse potuisse, nisi totus populus ἑκὼν ἐδούλευε τοῖς νόμοις (2), atque lex illa civitatis domina esset, quae ex ratione sapientis oriunda, eo magis omnibus bonis placere debuit, quo magis erat rationi et justi sensui consentanea: ὁ μὲν οὖν τὸν νοῦν κελεύων ἄρχειν, δοκεῖ

---

(1) Thucyd. III. 36 sqq. Cicero de republ. I. 27. Egregie Rötscher Aristophanes und sein Zeitalter p. 47, haec tempora vocat: der Kampf der einfachen Sitten, der Scham vor dem Gesetze, kurz des unreflectirten Gehorsams, welcher das Gesetz und die Sitten als das Letzte und Entscheidende anerkent, ohne einer anderen Auctorität zu bedürfen, mit der Subjectivität, der nicht Sitte und Gesetz die höchsten Instanzen mehr sind, sondern welche aus dem eigenen Denken und Vorstellen die Bestimmung entnimmt.

(2) Plato de Legg. III. p. 700 A. cf. p. 689 B. IX. p. 8.6 B.

κελεύειν ἄρχειν τὸν θεὸν, καὶ τοὺς νόμους, ὁ δ᾽ ἄνθρωπον κελεύων προστίθησι καὶ θηρίον (1). Hanc legis observantiam ἐθελοδουλείαν Graeci dicebant civitatum salutem, unde Plato τοὺς δ᾽ἄρχοντας, inquit. λεγομένους, νῦν ὑπηρέτας τοῖς νόμοις ἐκάλεσα, οὔτι καινοτομίας ὀνομάτων ἕνεκα, ἀλλὰ ἡγοῦμαι παντὸς μᾶλλον εἶναι παρὰ τοῦτο σωτηρίαν τε πόλει καὶ τοὐναντίον. ἐν ᾗ γὰρ ὁ νόμος ἂν δεσπότης ᾖ τῶν ἀρχόντων, οἱ δὲ ἄρχοντες δοῦλοι τοῦ νόμου, σωτηρίαν καὶ πάνθ᾽ ὅσα θεοί πόλεσιν ἔδοσαν ἀγαθὰ γιγνομένα καθορῶ (2).

---

Haec, quae de Legum fonte, natura, auctoritate ex veterum scriptis attulimus, sufficere videntur ad quaestionem illam, quam prius nobis examinandam proposuimus, explicandam, *quid legibus veteres intellexerint;* et sane egregia sunt, quae de legibus passim monuerunt, licet a nostra ratione haud raro aliena, qui moralis doctrinae et juris principium accuratius distinguere, et ita magis discernere leges civiles a moralibus solemus. Apud veteres hoc secus fuit; triplex omnium legislationum erat principium, ut summam legum reverentiam civium animis injicerent: ut officii sensum et moralis cujusdam necessitatis notionem excitarent: ac tandem ut justi sensum acuerent. Ita ipsum animum emendare et ad virtutem flec-

(1) Arist. Polit. III. 16. p. 1287. Plato de Legg. IX. p. 874 E.
(2) Plato de Legg. IV. p. 715.

tere legibus conabantur antiqui, ut tota hac ratione civitas ad virtutem progrederetur, quae veram ejus felicitatem unice continuit (1). Hinc moralis legum vis (2), quam animadvertimus, non tam externas hominis actiones, quam interna earum principia emendare conabatur. Praeterea summus, quo antiqui ducebantur, civitatis amor effecit, ut privata omnia publicae utilitati postponerent, et, ubi civitatis salus ageretur, civium singulorum commodum et lucrum non spectarent. Quo factum, ut cives fere tanquam partes civitatis consideraverint, non vero tanquam homines singulares, sibi tantum viventes. Cum enim homini civitatem compararent, legem, uti in homine mentem, omnibus partibus praeësse voluerunt, quae non singulorum commodum ita respiceret, quam quidem totius corporis salutem: quae quidem lex justorum esset et injustorum distinctio, ad illam antiquissimam legem naturae. Ceterum conjunctionis societatisque studium, quo ducti homines respublicas primum condiderunt, conjunctum cum aequalitatis amore principia erant antiquarum civitatum, e quibus, ut

(1) Cf. Wachsmuth II. 1. p. 11.

(2) Κρατίςους δ'εἶναι τῶν νόμων ἡγητέον, οὐκ ἐξ ὧν εὐπορωτάτοις ἀλλ' ἐξ ὧν ἐπιεικεςάτους τοῖς ἤθεσι καὶ πολιτικωτάτους συμβήσεται γενέσθαι τοὺς ἀνθρώπους. Diod. Sicul. I. 93. p. 104. Rötscher op. l. p. 123: Es war die Staatstugend jenes Einzelnen, welche die belebende Seele des Ganzen ausmachte, und in welcher handelnd, er täglich den allgemeinen Staatszweck verwirklichte.

tota earum ratio, ita imprimis, haec de legibus effata ducenda sunt, cum eo sit effectum, ut non hominem, non tyrannum aliquem civitati praepositum ferre possent, sed unam tantum legem dominam agnoscerent, quam venerarentur. Haec iis fundamentum libertatis, fons aequitatis erat. Mens et animus et consilium, sic dicebant, et sententia civitatis posita est in legibus; ut corpora nostra sine mente, sic civitas sine lege suis partibus, ut nervis ac sanguine et membris uti non potest, legum ministri magistratus, legum interpretes judices, legum denique omnes servi sumus.

# PARS POSTERIOR.

## *De Libertate.*

---

Ἐλευθερία, ἡ μὲν ψυχῆς, ἡ δὲ σωμάτων λέγεται· ἡ μὲν γὰρ ἀδείαν σωμάτων ἀπ' ἀνθρώπων δυνατωτέρων, ἡ δὲ διανοίας ἐκεχειρίην ἀπὸ τῶν παθῶν ἀπεργάζεται.

PHILO JUDAEUS.

---

Libertas nullo non aevo res fuit, quam omnes maximopere celebrarunt, quippe quae semper omnis felicitatis fons fuerit habita, atque hujus studium adeo cum ipsa natura hominis est conjunctum, ut non facile esse aliquem tam excordem credam, qui non omnes suas vires intendat, ut aliquando liber evadat. Veruntamen tantum semper abfuit, ut omnes libertatem eandem intellexerint, ut haud raro res sibi prorsus oppositas eo nomine insigniverint. Non mirum igitur multos turpiter deceptos, nubem esse pro Junone amplexos, et pro libertate omnia alia nactos fuisse, cujus rei haud pauca tristissima exempla nobis et veterum et recentiorum etiam historia praebet; quod quidem male intellectae libertatis studium gravissimorum saepe malorum principium exstitit. Ortae ita multae disputationes de libertate sunt, quae non

solum ad *civilem* gentium, verum etiam ad *moralem* hominis libertatem pertinuerunt: quae quidem lis magis inter recentiores, quam inter antiquos agitata est, non quasi antiqui Libertatis nomine idem intellexerint omnes; verum hac de re non ita sunt philosophati, et quid singuli philosophi et politici, quid ipsae gentes antiquae de libertate cogitaverint, magis ex eorum scriptis et reliquiis efficiendum tradiderunt, quam quidem ipsi testati sunt. Imprimis autem hic nobis Plato et Socrates censendi sunt, in quorum quippe dictis et scriptis egregia saepe effata de libertate occurrunt, quae posteriores certatim imitati sunt. Illi primum ad veram libertatis notionem viam indicarunt, et hos duces sequi oportebit, ut, quid illi libertate intellexerint, efficere, conemur; tum vero antiquarum civitatum historia largam materiam praebet, qua illorum dicta illustrari possint. Si enim alicubi, in his rebuspublicis libertatis amor viguit maximus, ut omnia perferre maluerint, quam domino sese subjicerent, aut servirent tyranno.

## SECTIO PRIOR.

*Quid sit Libertas, et qua in re a Servitute et Licentia differat, disquiritur.*

### § I.

### *Vulgares apud antiquos de Libertate opiniones.*

Cum variae fuerint jam antiquitus de libertate opiniones, una tamen fuit, eam scilicet esse facultatem ex lubitu quodvis faciendi, quae maxime et vulgaris et celebrata esset; putarunt nempe eum, qui revera liber diceretur, omnia peragere posse, quae vellet, ita ut a nemine impediretur. Et vero haud facile opinio fuit, quae majores clades nostro generi intulit, quam pestifera illa sententia; nam habuit illa nullo non aevo, quod hominum mentes mirifice adverteret, atque caussa exstitit gravissimarum civitatum conversionum, quae saepe non nisi una cum reipublicae interitu exstinctae sunt: esse enim aliquid videtur τό ζῆν, ὥς βούλεταί τις, τοῦτο γὰρ τῆς ἐλευθερίας ἔργον εἶναί φασιν, εἴπερ τοῦ δούλου ὄντος τὸ ζῆν μὴ ὡς βούλεται (1). Quis fuit enim unquam, qui non optaret, ut aliquando a vinculis illis liberatus

(1) Arist. Polit. VI. 2. p. 1317. cff. Cicero de offic. I. 20. Paradox. V. 1. Arrian. diss. Epict. II. 4 et imprimis Dio Chrysostom. Orat. XIV. V. I. p. 437. Reisk. qui illam opinionem impugnat.

esset, quae ipsum constringebant? Imprimis, si ea vincula gravia ipsi sint et molesta, eumque eo cogant, quo ipse nolit? Quicunque ad officia sua perficienda, ad bene agendum, incitatur, compellitur, cogitur, ipse improbus et corruptus, sine dubio illud exsecrabitur, quod eo ipsum adigere conatur, et omnia vincula perrumpere festinabit, quae ipsum retineant, quominus malos suos mores ad alios quoque transferat atque ita aliis quoque nocere pergat. Illud autem studium, ut vincula, quae gravia fieri inceperint et odiosa, solvantur, non tantum apud singulos homines, sed etiam apud totas gentes observare licet; atque hinc explicare possumus, quare hanc libertatem quidvis faciendi a populis non desideratam inveniamus, dum mores integri manerent. Tum enim leges vincula quidem erant, quibus singulorum actiones constringebantur, verum sponte ipsis obediebant et ultro faciebant, quod illae jubebant; verum, simulac mores in pejus ruerunt, omniaque vitia in civitates illapsa sunt, leges a populis perfractas videmus, et illarum onus gravius fieri, quam quod ferre possent; atque uti captivus diu catenis vinctus, his liberatus, exsultat, sic gentes legibus solutae, hanc libertatem celebrarunt, tanquam summum hominis et civitatis bonum. Numquam Persicorum bellorum tempore Athenienses de ea libertate cogitaverant, sed cum mores

in bello Peloponnesiaco corrupti fuerant, tum omnia legum vincula confregerunt. Ubi virtus antiquarum civitatum civibus deërat, omnes facile eum sequebantur, qui hanc iis libertatis speciem praetenderet. At vero illa quantopere homines decepit? Ἡ γὰρ ἄγαν ἐλευθερία ἔοικε οὐκ εἰς ἄλλό τι ἢ εἰς ἄγαν δουλείαν μεταβάλλειν (1). Omnia tempora testantur hujus libertatis imaginem in hominum mente exstare posse, ipsam in rerum natura non posse; etenim si omnibus quidlibet faciendi detur potestas, quae respublica, quae societas, quae conjunctio inter homines esse poterit? Sic enim vincula solvuntur, quibus conjuncti sunt omnes, nullum superest infirmo asylum, sed viribus ac malitiae omnia patent: tum profecto erit, ἄτακτος ἀνθρώπων βίος καὶ θηριώδης, ἰσχύος θ' ὑπηρέτης (2), atque sic homines brevi se invicem interficerent, nam, uti egregie Plato animadvertit: νόμους ἀνθρώποις ἀναγκαῖον τίθεσθαι, καὶ ζῆν κατὰ νόμους ἢ μηδὲν διαφέρειν τῶν πάντῃ ἀγριωτάτων θηρίων. ἡ δὲ αἰτία τούτων ἥδε, ὅτι φύσις ἀνθρώπων οὐδενὸς ἱκανὴ φύεται ὥστε γνῶναί τε τὰ συμφέροντα ἀνθρώποις εἰς πολιτείαν, καὶ, γνοῦσα τὸ βέλτιςον, ἀεὶ δύνασθαί τε καὶ ἐθέλειν πράττειν. — ἐπεὶ ταῦτα εἴποτε τὶς ἀνθρώπων φύσει ἱκανὸς θείᾳ μοίρᾳ γεννηθεὶς, παραλαβεῖν δυνατὸς εἴη, νόμων οὐδὲν ἂν δέοιτο τῶν ἀρξόντων ἑαυτοῦ (2). Nisi igitur omnes perfecti homines facti fue-

(1) Plato de Republ. VIII. p. 564 A.

(2) Critias apud Steph. poësis Philos. p. 75 cf. van Ghert de poenae capit. necessit, p. 16.

(3) Plato de Legg. IX. p. 875 A-C.

rint, haec libertas vana et inanis species erit.

Ex hac vero de libertate sententia antiquitus jam alia fluxit, qua scilicet hominem aliquid ab illa sua quidvis faciendi facultate remisisse et legibus sese subjecisse opinabantur, ut ita tutus et securus vivere posset, et quum constitisset πλέονι κακῷ ὑπερβάλλειν τὸ ἀδικεῖσθαι, ἢ ἀγαθῷ τὸ ἀδικεῖν, δοκεῖ λυσιτελεῖν ξυνθέσθαι ἀλλήλοις μήτ' ἀδικεῖν μήτ' ἀδικεῖσθαι· καὶ ἐντεῦθεν δή φασιν ἄρξασθαι νόμους τίθεσθαι καὶ ξυνθήκας αὐτῶν (1). Ita pactum quoddam civile fingebant, quo communibus legibus sese homines submitterent, et is, qui illud violasset, poenas lueret, οὐκοῦν ὅσα μηδ' ἀπείρηται ὑπὸ τῶν νόμων, μηδὲ προσέτακται, ὁ περὶ τούτων ἔχων αὐτὸς τὴν ἐξουσίαν τοῦ πράττειν, ὡς βούλεται, ἐλεύθερος, ὁ δὲ τοὐναντίον ἀδύνατος, δοῦλος (2). Haec sententia Sophistis maxime, iisque, qui jus esse naturae negarent, placuisse videtur, illamque antiquitus jam a Platone inde multi impugnarunt, qui civitatum originem non e pacto quodam, sed ex ipso societatis studio, quod homini inest, repetiverunt, monentes tum saepe obvenire, ut turpia, quae lege non prohibentur, faciendi facultas *libertas* sit dicenda, atque hanc tandem inane nomen fieri, cum sit ita libertas nil aliud, nisi facultas hujus faciendi, quod

(1) Plato de Republ. II. p. 359 A. Gorgias p. 483 B. sqq.

(2) Dio Chrysost. XIV. V. I. p. 441. Reisk. Montesq. Esprit des Loix L. XI. 3: La Liberté est le droit de faire tout ce que les Loix permettent. Rousseau Contr. Social. I. 8. Jongstra de praecip. argum. quibus variae de fund. civit. sent. nitantur.

tibi facere permittitur, quae sane omnibus communis, non ita est magni facienda.

Alii vero inter veteres libertatem tanquam jus quoddam considerarunt, et quidem jus illud, quod civibus proprium fuit apud antiquos. Itaque, inquit Cicero, in nulla alia civitate, nisi in qua populi potestas summa est, ullum domicilium libertas habet: qua quidem certe nihil potest esse dulcius, et quae, si aequa non est, ne libertas quidem est. Qui autem aequa potest esse? omitto dicere in regno, ubi ne obscura quidem est aut dubia servitus, sed in istis civitatibus, in quibus verbo sunt liberi omnes; ferunt enim suffragia, mandant imperia, magistratus ambiuntur, rogantur; sed ea dant magis, quae, etiamsi nolint, danda sint, et quae ipsi non habent, unde alii petunt: sunt enim expertes imperii, consilii publici, judicii delectorum judicum (1). Significat igitur hoc loco libertatem positam esse in libero usu illorum jurium, quae in rebuspublicis cives habebant, quae sententia apud Graecos et Romanos haud fuit infrequens. Athenienses imprimis acerrimi fuerunt illius juris vindices, quo publici imperii participes fierent, et cum quadringenti illi instituerentur, qui rempublicam administrarent χαλεπὸν ἦν τὸν Αθηναίων δῆμον ἐλευθερίας παῦσαι (2).

(1) Cicero de Republ. I. 31.

(2) Thucydid. VIII. 68.

Hinc Democratiam inducere et populo libertatem reddere saepe idem sonat; sic Polysperchon, bellum cum Cassandro gesturus, decrevisse dicitur: τὰς μὲν κατὰ τὴν Ἑλλάδα πόλεις ἐλευθεροῦν, τὰς δ' ἐν αὐταῖς ὀλιγαρχίας κατισαμένας καταλύειν (1), et αὐτονομία eadem atque ἐλευθερία habebatur, uti in decreto Senatus, quo Graecos, Macedonibus devictis, liberos, immunes, suis legibus esse jussit (2); unde ἐλεύθερος et αὐτόνομος haud raro conjunguntur, uti Antigoni decreto constitutum narratur, τοὺς Ἕλληνας ἅπαντας ἐλευθέρους, ἀφρουρήτους, αὐτονόμους εἶναι (3). Sed apud Romanos maxime haec libertatis significatio recepta fuit, apud quos hoc uno verbo continentur omnia jura, quae cives Romani habent, suffragiorum ferendorum, honorum omnium petendorum, provocandi, et quidquid jus civile universum et leges Tribuniciae et Consulares sanxerunt pro populi commodis. Hoc sensu saepe apud Livium Tribuni dicuntur pugnare pro aequa libertate, et eodem sensu apud illum civitas et libertas eripi dicitur (4). Atque sic de libertate disputantes veteres, omnes illos, qui non sui juris essent, servos putarunt, nec tantum eos, qui sub unius imperio viverent, verum omnes etiam, qui non

---

(1) Diod. Sicul. XVIII. 55. p. 298. cf. Thucyd. IV. 86.

(2) Livius XXXIII. 32. cf. E. Spanh. de usu et praest. num. p. 789.

(3) Diod. Sicul. XIX. 60. p. 365.

(4) Ernest. in clav. Cicer. Voce *libertas*, Livius XLV. 15.

eadem jura haberent, quae in antiquis rebuspublicis civibus concedi solebant. Sic igitur libertas prorsus a juribus pendet, quae aliquis habere possit.

Tandem antiqui libertatem tanquam praecipuum quoddam bonum nonnumquam considerabant, maxime ubi eam opponebant servituti. Et profecto simplicem libertatis notionem nimis neglexisse videntur, nec moralis libertatis naturam satis attendisse, quo factum, ut tam diverse de libertate vulgo existimaretur. Scilicet non distinxerunt causas, quae liberum hominem reddunt, ab ipsa libertatis notione, quae non facultatem quandam aut jus, sed conditionem et statum indicat (1). Quod quidem nonnulli eximii viri inter antiquos, cum jam perspicerent, non tamen satis explicuerunt, vulgaribus fere de libertate opinionibus inhaerentes. Sed uti felices bene multi dicuntur, et omnibus est illud commune nomen, qui felicitate fruuntur; procul tamen abest, ut omnes eandem ob rem felices dicamus, cum alii quia forte iis lucrum, vel alia optata res obvenerit, alii, quia suis rebus contenti sunt, felices habeantur, nemo autem ipsa felicitate proprie fiat felix, sed, quum felix est, tum in ea conditione versatur, quam felicitatem dicere consuevimus. Ita quoque libertas sese habet, si quis liber et, propterea quod liber

(1) Cl. Heusd. Socrat. Sch. V. II. p. 120.

est, in libertate versatur, eâque fruitur, sed numquam ipsa libertate liber evadit, sed multis variisque caussis eo pervenit. Cum exempli gratia servus apud Romanos manumitteretur, liber fiebat, quia jura civium adeptus libertate fruebatur; atque ita distinguenda ipsa libertas, ipsa haec conditio, ab iis, quae ad hunc statum homines deducere possunt, et hoc est, quod neglectum in errores saepe antiquos induxit, qui nempe facultatem, vel jus qualecunque illud tandem, quod liberos homines reddere possit, ipsam libertatem habuerint.

## § II.

*Qualis sit Libertatis status inquiritur.*

Duplici ratione antiqui hominem considerare solebant, ea nempe qua sese quod ad se ipsum habet, et qua respectu aliorum hominum comparatus est. Primum etenim animadverterunt hominem animo non solum, sed ratione etiam et mente esse instructum, quo efficiatur, ut non, prouti cetera animalia, naturali quodam impetu, ducatur et agat, qui ipsum impellat vel retineat, verum ex sua voluntate agere possit, et pro arbitrio optare rationis ne ductui obsequi, an eo, quo cupiditates ipsum trahunt, progredi malit. Quod pulchre expressum est illa narratione de Hercule, quam e Prodici

libro Xenophon attulit (1), in qua etiam omnia maximaque virtutis bona recensentur, quae attingere tantum licet, si rationis imperio obsequutus sis. Antiquorum autem philosophorum fuit haec una et communis vox, rationi subjiciendas esse cupiditates, ut felix homo sit et animus a cupiditatum imperio et vehementia liberatus, virtutem attingere possit, quae totius vitae scopus esse debeat, nec aliud quid sit, atque perfecta maxime et ad summum perducta natura (2). Sic igitur hominem sui ipsius ratione sibi proposuerunt, neque minus etiam tanquam civilis societatis participem ipsum contemplati sunt antiqui. Cum enim suâ naturâ vivere solus non possit, nec facultates animo insitas sine aliorum auxilio explicare, oritur societatis studium, unde civitates existunt, uti supra vidimus, cum sese cum aliis conjungere inceperit. Vivit ita homo cum aliis sociatus, et officia existunt, quae et erga se ipsum et erga hos, quibuscum est civitatis vinculo colligatus, praestare debeat.

Ex hoc, quo hominem considerabant modo, duplicem etiam Libertatem memorarunt veteres, *moralem* et *civilem*, cujus notio negativa propria esset. Scilicet haec libertatis conditio, sive ea ad civitatem, sive ad ipsum homi-

(1) Xenoph. Memor. II. 1. 21 sqq. cf. Cl. Heusdii Socrat. Sch. V. II. p. 194.

(2) Cicero de Legg. I. 8.

nem referatur, non tum obtinet, quum certa adsit facultas homini vel jus, sed tum, cum non adsunt, quae ipsum impedire possint, quominus officia ipse sua peragat. Quae negativa libertatis vis in ipso vocabulo inest: sunt enim nomina et voces, uti Plato jam vidit, notionum imagines, quibus mens nostra in cogitando uti solet (1), et quae rem melius saepe, quam prolixae disputationes, exprimunt. Libertas autem nomen ab homine, qui ire possit, quo velit, accepit, quique ab omnibus vinculis solutus, nulla re agere prohibeatur. Quod idem Graecorum notat Ἐλευθερία (2), atque recentiorum quoque *Vrijheid*, *Freedom* significat.

Universe itaque Libertatem dicendam putamus eam conditionem, qua homo est, si nullo impedimento prohibeatur, quominus faciat, quod debeat, nec aliorum ullo modo sit obnoxius injuriis, qui quidem status, quia non solum ab aliis hominibus, sed etiam ab insitis cupiditatibus retineri potest, *moralis* et *civilis* Libertas dicitur. Particeps est igitur libertatis homo, quia rationem habet, cui potest cupiditates, quae animo insunt, subjicere. Praeterea societatis habet studium, quo ad civilem societatem fertur, cumque ex hac conditione homo

(1) Cl. Heusd. Init. V. II. T. III. p. 199.

(2) Ab antiquo ἐλεύθω. Math. Gram. p. 581. Hinc ἐλεύθερος et ἀφετὸς conjunguntur a Plutarch. in fragm. apud Wyttenb. ad Plut. S. N. V. p. 137.

versetur, revera felix est, quia illa maxime suae naturae est consentanea et apta, multo magis sine dubio, quam status ille naturalis, quem philosophi excogitarunt, ubi homo omnium consortio exutus viveret. Quare igitur Athenienses, Spartanos, alias antiquitatis gentes liberas dicimus? Non profecto ob aliquod, quo fruebantur, jus, sed quia nemo prohibebatur, quominus sua officia exsequeretur, nec alterum quisquam impune laedere poterat. Tutam et securam ab aliis vitam singuli agebant, et omnes propugnabant, si quis ipsos subigere auderet, uti Persae experti sunt: sed cum Lysander Athenas cepisset, tum servitute opprimebantur Athenienses, et omnia tyrannorum violentiae patebant; nullus erat locus sacer sive profanus, ubi eorum injurias quis vitare posset, plurimos cives, quibus in bello fortuna pepercerat, partim patria expulerunt, partim interfecerunt (1); ab officio illi homines impediebant, imo saepe cogebant ad contrarium, *βουλόμενοι ὡς πλείςους ἀναπλῆσαι αἰτιῶν* (2), et gravis civibus fuit tyrannis, donec Thrasybulus eos denuo in libertatem vindicavit. Romani autem diu liberi manserunt, et nemo eos contra officium agere coegit, sed cum, Marii Syllaeque jussu, filius patrem morti offerre debuit, soror fratrem indicare, cum officium facere scelus et

(1) Nepos. Thrasyb. c. 1.

(2) Plato Apolog. p. 32 C.

maleficium habebatur, tum servierunt Romani, et licet liberi dicerentur, nullum fuit libertatis domicilium in civitate. Serviit Caesari et imperatoribus postea Senatus, non quid bonum, quid decens, quid esset officium curans, sed quid illis placeret observare coactus. Itaque non pendet a certa quadam regiminis forma libertas, neque proprium fuit aliquod rerumpublicarum bonum, sed in Orienti etiam obtinere illa potuit, si bonus et pius princeps imperium teneret, qui judicio suo et sua aequitate omnes felices reddere vellet (1). Cujus rei exemplum nobis Salomonis tempora praebent, sub cujus auspiciis tuto in agris suis et vinctis populus habitabat (2), quia ille justitiam propugnabat, et providebat, ne quis injuste haberetur aut a suo detineretur officio.

Veruntamen haud unice liberum ab aliorum injuriis hominem esse oportere, rite perspexerunt antiqui, sed aliam etiam libertatem exstare arbitrabantur, siquidem *οἱ ἀγαθοὶ οἰκέται ἐλεύθεροι, οἱ πονηροὶ ἐλεύθεροι δοῦλοι πολλῶν ἐπιθυμιῶν* (3). Quicunque enim animum non ita comparatum habet, ut ratio imperium teneat, ille quidem non e principe quodam aut legibus,

(1) Claudianus de laud. Stilionis III. 113 sqq.

*Fallitur egregie, quisquis sub principe credit*
*Servitium; numquam libertas gratior exstat,*
*Quam sub rege pio. --*

(2) I Regum 4. 25. (5. vs. 5.) Cl. Heusd. Socrat. Sch. V. II. p. 126.

(3) Bion apud Stob. Sermon. 174, p. 600. Wech. cf. Euripid. Hecuba. vs. 847 sqq.

neque ab alio impeditur, quominus exsequatur officium, sed ab insitis illis cupiditatibus et libidinibus abducitur, quae a bono abstrahentes, sibi eum subjiciunt; tum etiam praejudicatae opiniones, quas ratione ex animo expellere non didicit, ejus mentem obcoecant, et a vero ipsam aberrare faciunt: a quibus demum liberatus dominis homo liber fit et sui juris. Ad hanc libertatem Socrates et Plato hominem adducere conati sunt, cum philosophiae ope ipsum purgare, et animum ejus praejudicatis omnibus opinionibus liberare vellent; huc *κάθαρσις* illa spectabat, quam memorarunt, eum tantum felicem praedicantes, qui a saevissima illa et turpissima cupiditatum servitute solutus viveret. Hac ratione Stoici deinde solum sapientem liberum habuerunt, quippe qui omni careret cupiditate et affectu (1). Et Horatio quidni nos etiam assentiremus, dicenti:

*Qui melior servo, qui liberior sit avarus,*
*In triviis fixum cum se demittit ob assem,*
*Non video; nam, qui cupiet, metuet quoque, porro*
*Qui metuens vivet, liber mihi non erit unquam* (2).

Itaque liber Socrates fuit, licet vinctus in carcere teneretur, et mors ipsi immineret, cum ne mortis quidem metus ipsum ab officio tantillum abducere posset, et, quod justum bonumque sciebat, constanti animo tueretur (3). Ser-

(1) Lipsii Manud. ad Phil. Stoic. III. 12.
(2) Horat. I. Epist. 16. 63.
(3) Cl. Heusd. Socr. Sch. V. II. p. 201.

viit contra Critias turpissime, cum dominandi cupiditate omnia flagitia perpetraret; et, Caesar licet totum terrarum orbem sibi subjecisset, suae tamen ambitioni et quaerendi nominis ardori subjectus erat. Servierunt revera, quotquot cupiditate aut gloriae studio a recti tramite abducti sunt, quamvis reges etiam aut imperatores essent.

Haec autem universe dicta sufficere videntur, ut qualis sit ille libertatis status intelligatur, quem quidem nunc universe tantum adumbrare voluimus, mox de morali et civili libertate accuratius acturi. Atque hinc, qualis negativa sit ejus ratio, liquet, quae in sublatis officii impedimentis externis internisque est posita; qua in re hoc etiam observandum, ubi ex antiquarum civitatum natura et philosophorum effatis de libertate agimus, veteres, qui ad civitatem omnia referebant, et unice civium nomine gloriabantur, numquam libertatem *hominis* a libertate *civis* rite distinxisse, atque, cum cives aliorum obnoxios esse injuriis, numquam non aegerrime ferrent, externos sibi obnoxios habere non contra naturam duxisse (1). Quo factum, ut, quotiescunque civitatem bello superaverant, ejus cives in servitutem detruderent (2); quamquam Romani majori humanitate

(1) Cl. Heusd. Socr. Sch. V. II. p 226.

(2) Polyb., II. 58. 10. cf. imprimis Rötscher op. l. p. 109 sq. ubi inter alia: Der Bürger hatte daher, als solcher, die

usi, victis aliqua jura relinquere solebant, et Cicero jam humanae naturae praestantiam perspiciens, oportet, inquit, hominem ab homine, ob id ipsum quod homo sit, non alienum videri (1). Nostro vero demum tempore eo perventum est, ut hominem, ubicunque sit, veneremur, nostrae quippe naturae participem, aequalem, fratrem, qui, licet nullius sit civitatis civis, quia homo est, liber esse debet.

Ex negativa vero libertatis notione, alia eaque positiva orta est: cum enim is, qui libertate fruitur, non agere prohibeatur, si rite agere et juste velit, libertas etiam hanc ejus facultatem notat, qui in tali est conditione; et sic eâ significatur facultas aliquid agendi, a quo nullis impedimentis retinearis. Quae sane significatio late apud antiquos patuit; hinc libertatem rei faciendae alicui dare dicebant (2), cum sublata essent omnia, quae actioni obstare possent; et ex hac notione multa philosophorum dicta explicanda, quae alioquin mira videri debent, uti Platonis illud: ex nimia libertate servitutem fere oriri. Ut autem libertatis status melius etiam appareat, probe et-

---

höchste Ehre, und der Begriff der Freiheit, wie er sich in Griechenland entwickelte, fiel mit dem Begriffe des Bürgers ganz zusammen.

(1) Cicero de finib. III. 19. V. 23. cf. Rötscher op. l. p. 119-120.

(2) Virgil. Aeneid. XI. 346.

iam a servitute ab una, uti a licentia ab altera parte distinguenda videtur, quas antiqui opponere quidem libertati solebant, sed etiam nonnumquam arcte cum ipsa conjungebant.

## § III.

### *De Servitute et Licentia.*

Ex iis, quae de libertate diximus, haud difficile erit efficere, quid servitute sit intelligendum, quae libertati oppositam fere notat conditionem. Non enim eum, qui certo aliquo jure caret, servire tantum dicimus, verum omnes, qui ita aliis subjecti sunt, ut eorum injuriis obnoxii, a dominorum voluntate et arbitrio pendeant, quos antiqui quoque servorum nomine designarunt. Sed praeterea aliam servitutem veteres memorant, quam *moralem* dicere possis, ubi ratio cupiditatibus ita subjecta est, ut earum impulsu totus animus ducatur. Positivam igitur vim servitus habet, et officii impedimenta adesse significat. Miserrima sane conditio est illa, quae plane civitatum hominisque naturae repugnat. Quid enim tristius spectaculum, quam omnes cives, totam civitatem, tyranno vel victori servientem adspicere? nemo ipsius resistere contumeliis audet, grassatur ille in bona et vitam civium, agere illi coguntur, quod ille

voluerit. Hanc miseriam experti sunt Athenienses cum triginta tyrannis, Syracusani cum Dionysiis, Romani cum Mario, Syllae, Antonio serverent. Non mirum igitur hunc ardorem, quo suam libertatem vindicare semper studuerunt antiqui, fuisse maximum. Magis autem miramur hos populos, qui tyranno servire nunquam non miserrimum duxerint, alios sibi homines subjectos, servos, habuisse, qui bestiarum instar emebantur, quorumque sors haud raro miserrima fuit; imprimis cum ipsos antiquos haud latuerit, servum hominem tamen esse, et, licet pecudum numero fuerit habitus, humanam non exuere naturam (1), cui contrarium est, si dominus in ipsum saevire possit, atque ex ejus arbitro agere debeat servus (2), ita ut non suae rationi sed domini voluntati obsequatur, *nam servo*

*indigna, digna habenda sunt, herus quae facit* (3).

Et, uti servus apud Menandrum loquitur, res omnino sese habet:

*Ἐμοὶ πόλις ἐςὶ καὶ καταφυγὴ καὶ νόμος*
*Καὶ τοῦ δικαίου, τοῦ τ᾽ ἀδίκου παντὸς κριτὴς*
*Ὁ δεσπότης, πρὸς τοῦτον ἕνα δεῖ ζῆν ἐμέ* (4).

---

(1) Philemon apud Stobaeum Tit. 175. p. 600. Wech.
Κἂν δοῦλος ἦν τις, οὐδὲν ἧσσον, δέσποτα
Ἄνθρωπος οὗτός ἐςιν ---

(2) De servorum conditione Athenis vid. Boeckh. Staatsh. der Ath. V. I. p. 40 sqq.

(3) Plaut. Captivi Act. II. I. 6.

(4) Apud Stobaeum l. l.

Veruntamen animadvertendum, summo loco patriam, civitatem, habuisse veteres, et *cives* maximopere sese praedicatos fuisse, quippe qui ejusdem *κοινωνίας* essent participes, hominem vero ipsum minus coluisse, et, quae nos jura homini tribuamus, ea civi tantum dedisse. Sic factum, ut ipse etiam Aristoteles alios homines a natura ad libertatem, ad servitutem alios comparatos esse diceret, licet jam ejus aevo haberentur, qui servitutem cum hominis natura pugnare contenderent (1): nostra vero aetas demum eo pervenit, ut illud plane intelligeret (2).

Tollere vero nulla unquam aetas valet assiduam illam et ineluctabilem servitutem, quae per diem et noctem aequaliter premit sine intervallo, sine commeatu (3), cum quis sibi ipsi sit subjectus. Et tamen, quam multi sunt qui cupiditatibus serviant? Cupiditates et praejudicatae opiniones sunt domini, multo tyranno graviores. huic te subtrahere, effugere eum, effringere impedimenta, quae te retinent, potes, sed ubi in animo adest tyrannus, frustra te vertas, nam

*Coelum, non animum mutant, qui trans mare currunt.*

Ab ea servitute non aliorum virtus, sed ipsi nos ipsos philosophiae et religionis auxilio, vin-

(1) Arist. Polit. I. 3. p. 1253.
(2) Cl. Heusdii diatr. in civitt. antiq. p. 44.
(3) Seneca Natur. quaest. III. p. 723 B. cf. Epist. 22 et 27.

dicare debemus, rationi suum honorem reddentes eique animum submittentes, ut nec ira nec cupidine a bono et aequo abducamur. Antiqui hanc moralem servitutem a civili rite distinxerunt, quod imprimis Socrates egit, qui putavit τοὺς ἀκρατεῖς τὴν κακίστην δουλεύειν δουλείαν (1), illudque prae se ferre solebat, eum, qui cupiditatibus obediebat δεσπότην ἑαυτοῦ καθιστάναι, καὶ δουλεύειν δουλείαν οὐδεμιᾶς ἧττον αἰσχράν (2).

Ex his autem, quae de servitute attulimus, hoc sponte efficitur, hujus status gravitatem et molestiam ab ejus ratione pendere, cui subjecti et cujus voluntati obnoxii sumus. Cum enim eo efficiatur, ut contra nostrae rationis jussa agere cogamur, gravior certe et pejor hominis conditio nequit cogitari; si vero ratio imperat, neque tantum ab eo, quod bonum est et justum, nos non retinet, verum eo etiam leniter perducere conatur et incitat, unde meliores fiamus, tum certe talis servitus bonis non gravis, quin potius jucunda, malis autem utilis erit atque salutaris, ut ab vitiis corrigantur. Atque in tali servitute nos omnes esse, rite jam antiqui philosophi monuerunt. Servi enim omnes summi Numinis sumus, a cujus voluntate omnia pendent, et contra quod nihil moliri licet: θεῶν γε μὴν, ait Plato, κτήματά

(1) Xenoph. Memor. IV. 5. 5.

(2) Xenoph. Memor. I. 5. 6. Eurip. in fragm. V. IX. p. 301. Math.

Φαμεν εἶναι πάντα, ὁπόσα θνητὰ ζῶα, ὥσπερ καὶ τὸν οὐρανὸν ὅλον (1), et alio loco affirmat τοὺς θεοὺς εἶναι τοὺς ἐπιμελομένους καὶ ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους ἓν τῶν κτημάτων τοῖς θεοῖς εἶναι (2), quos Deus in hac vita tanquam in statione collocavit, sua cuique peragenda imponens (3). Hoc summum Numen antiqui proposuerunt tanquam mundi creatorem, ἐν ᾧ πάντα τὰ καλὰ καὶ ἀγαθὰ (4) inessent, non omnium, sed boni tantum auctorem, malorum gravissimum judicem, qui ita esset ab injustitia remotus, ut nobis ipsius justi, boni, sancti esset summum, quod imitemur, exemplar (5), quique non humanis cupiditatibus, erroribus, atque vitiis esset obnoxius, idemque hominum esset non dominus, sed fautor et parens. Atqui talis si Deus est, non ille ab officio nos retinet, quod ipse nobis imposuit, sed ad optima quaeque incitat, atque jubet, ut ad virtutem tendamus; hujus Dei impulsu et quasi afflatu ducimur, ut humanae societati et hominibus, quoad possimus, utiles fiamus (6). Quomodo autem injuriis petere nos posset ille, qui nil agat, nisi quod bonum sit et justum (7), et in injustos severe animad-

---

(1) Plato de Legg. X. p 902 B.
(2) Plato Phaed. p. 62 B cf. Critias p. 109 B. Cicero Tusc. I. 30.
(3) Cf. Boeck Philolaus, p. 151.
(4) Xenoph. Mem. IV. 3. 13.
(5) Cl. Heusdii Initia V. II. P. III. p. 115. 229.
(6) Cl. Heusdii Socr. School V. II. p. 196.
(7) Plato de Republ. II. p. 379 B. cf. Jambl. de Myst. p. 113 sq.

vertat? Et procul abfuit, ut antiqui hanc servitutem, qua Deo sumus subjecti, turpem aut molestam haberent; Νενόμισται γὰρ δὴ ἡμῖν, ait Plato, ἐάν τις ἐθέλῃ τινὰ θεραπεύειν, ἡγούμενος δι' ἐκεῖνον ἀμείνων ἔσεσθαι ἢ κατὰ σοφίαν τινὰ ἢ κατὰ ἄλλο ὁτιοῦν μέρος ἀρετῆς, αὕτη αὖ ἡ ἐθελοδουλεία οὐκ αἰσχρὰ εἶναι οὐδὲ κολακεία (1). Quin potius antiqui hanc servitutem celebrabant, et lubenter agnoscebant, quippe quae una libertatis esset causa (2), quod Horatius Romanis accinit:

*Dis te minorem quod geris, imperas,*
*Huc omne principium, huc refer exitum* (3).

Quid enim? Si libertas facultas quidlibet agendi esset, hoc profecto dicere non liceret: multa enim sunt, quae agere prohibemur a summo illo Numine; aut si nemini parendo vera libertas contineretur, nomine tantum illa nobis cognita esset: verum cum ea sit conditio, qua ab aliorum contumeliis securi, nostrum officium peragamus, nihil sane aptius, quod in hanc conditionem nos vindicet, quam Dei reverentia, ejusque auctoritas et amor. Quo sane majus ad officium strenue exsequendum, incitamentum esse non potest. Ipse ille Deus impedimenta, quae nobis obstare possint, submovet, et suis jussis vim rationi addit, qua cupiditates possit superare, et ad virtutem

(1) Plato Symp. p. 184 C. cf. Euthyd. p. 283 B
(2) Cf. cl. Heusd. Socr. Sch. V. II. p. 197.
(3) Horat. Carm. II. VI. 5.

nos incitat. Hic nobis rationem et justi etiam sensum dedit, quae omnis libertatis fontes sunt, atque, uti in coelo solem, sic ille in civitatibus τὸ φέγγος εὐδικίας καὶ λόγου τοῦ περὶ αὐτὴν ὥσπερ εἰκόνα (1) constituit. Praeterea talem dominum, qui nos tueri et ad bonum incitare numquam desinit, non possumus non amare, qui sane erga Deum amor suapte natura expellit ceteras quasque libidines, quae summo hominibus impedimento esse solent, atque ita efficitur amore erga Deum, ut, quae ratione jubeantur et probentur, his sensuum imperium haud amplius obluctetur (2). Hoc antiquitas vidit, cum diceret: *Deo parere est libertas* (3).

Superest, ut etiam de licentia videamus, quae sane a libertate maxime distat, ut, ubi adsit licentia, illa certe desideretur. Tum enim, uti ipsum nomen indicat, licentia obtinet, cum omnia licita sunt, et nihil est vetitum; quod nostra lingua pulchre exprimit voce *losbandigheid*, omnium quasi vinculorum, quae nos retinere possint, solutio. Efficit illa, ut unusquisque suam voluntatem sequatur, omnia perrumpat et frangat, quae ipsi resistant, et, quia leges hanc singulorum voluntatem, ubi cum justo et aequo pugnat, retinent, eas contemnat, atque sic ipsa vincula solvens civitatis jus-

(1) Plutarch. ad Princip. inerud. IX. p. 126 Reisk.
(2) Scholten de Dei amore erga hom. p. 175.
(3) Seneca de Vit. beat. 15.

titiam funditus subvertat, et nullum dominum agnoscat, ut plane ἀναρχία obtineat, qua majus nullum civitati malum accidere potest (1). Hinc quid sit licentia, facile animadvertimus, scilicet hanc ipsam, quam antiquitus multi libertatem habuerunt, facultatem faciendi, quod velis. Cujus quidem cupido si cives invaserit, non autem invadit nisi mores corrupti sint, haud amplius ulla societas aut civitas manebit. Graeci ipsam τὴν ἄγαν ἐλευθερίαν dixerunt, libertatem positive intelligentes facultatem id agendi, quod legibus non prohibeatur, quo sensu nimia libertas est, quando quod libuerit, facimus, etiamsi illud sit prohibitum, quae vera licentia est atque ἀναρχίας mater. Quando igitur haec nimia libertas in civitate obtinet, non solum leges vim suam amittunt totam, sed quisque agit etiam pro lubitu, magistratus a privatis nil differunt, et, quod ait Cicero, necesse est, ut in ejusmodi republica plena libertatis sint omnia; ut privata domus omnis vacet dominatione, et hoc malum usque ad bestias perveniat, absit omnis pudor, ut plane liberi sint. Ergo ex hac infinita libertate haec summa cogitur, ut ita fastidiosae mollesque mentes evadant civium, ut, si minima vis adhibeatur imperii, irascantur et perferre nequeant: ex quo leges quoque incipiunt

---

(1) Plato de Legg. XII. p. 942 D. Sophocl. Antig. vs. 66?.

negligere, ut plane sine ullo domino sint (1). Tum omnes sese liberos putant, sed ipsa antiquarum civitatum historia satis docet, vere Platonem dixisse hinc gravissimam fere oriri tyrannidem. Ex hoc enim populo indomito vel potius immani deligitur aliquis plerumque dux, audax, impurus, consectans proterve bene saepe de republica meritos, populo gratificans et aliena et sua, cui, quia privato oppositi sunt timores, dantur imperia et ea continuantur, praesidiis etiam saepiuntur, postremo a quibus producti sunt, eorum existunt tyranni (2). Sic etiam res sese Athenis habuit, ubi Platonis tempore invaluerat summa licentia: νῦν δὲ ἦρξε, sic ait, ἡμῖν ἐκ μουσικῆς ἡ πάντων εἰς πάντα σοφίας δόξα καὶ παρανομία, ξυνεφέσπετο δὲ ἐλευθερία (3), et omnia tum revera libertatis plena erant, sed mox triginta illi tyranni in servitutem detruserunt civitatem, et miserum licentiae finem imposuerunt.

Verum non in antiquis civitatibus tantum

(1) Cicero de Republ. I. 43. Plato de Republ. VIII. p. 562 A-563 E. Eupolis apud Stobaeum Serm. 141. p. 410. Wech.

(2) Cicero de Republ. I. 44.

(3) Plato de Legg. III. p. 701 A. Thucyd. III. 82. Rötscher l. l. p. 100-108, imprimis p. 156 sqq. ubi: Sobald das Volk in eine Menge von Einzelwillen auseinander gerissen is, so kann auch wiederum der Wille eines Einzelne die Menge von Einzelwillen vereinigen, indem er ein gemeinschaftliches, Interesse zum Mittelpunkt macht, welches, wegen der noch rohen Gestalt, welche hier die Subjectivität hat, nur das Interesse der Befriedigung der Begierde und eigennütziger Zwecke sein kann.

licentiam animadvertimus, sed in animo humano quoque eam quodammodo existere posse, egregie philosophi intellexerunt, qui semper cum civitate hominem comparare solebant. Cum enim quis omnia cupiditatibus suis permiserit, ut semper ab ea ducatur, quae excitata forte fuerit, et modo hoc, modo illud agat, omnibus aeque gratificari studens, tum nullus in animo dominus superest, sed fluctuant omnia, et, uti Plato ait, *οὔτέ τις τάξις, οὔτε ἀνάγκη ἔπεστι αὐτοῦ τῷ βίῳ, ἀλλ᾽ ἡδύν τε δὴ καὶ ἐλεύθερον καὶ μακάριον καλῶν τὸν βίον τοῦτον, χρῆται αὐτῷ διαπαντός* (1). Quae sane quam misera sit hominis sors, sponte patet; ut enim ille nunc hac, nunc alia ducitur cupiditate, ita civitas, licentiâ corrupta, modo hunc, modo illum Demagogum sequitur, donec tyrannus quis existat, qui ipsam totam subigat.

Ex his autem, quae jam disputata sunt de libertate, servitute et licentia, satis liquet, quomodo a se invicem differant, et quid iis sit intelligendum. Atque hoc loco animadvertere licet, quantopere huc valeat illa hominis cum civitate comparatio, quae e politicae veteris principiis fuit orta, ut in homine eadem, quae in civitate, inveniamus libertatis felicitatisque principia, eosdemque, quos in civitate

(1) Plato de Republ. VIII. p. 561 E. cf. Cl. Heusdii Initia V. III. p. 155 sqq.

in animo humano affectus conspiciamus, eodem fundamento et hominis et civitatis salutem niti intelligamus ut nempe bonus nobis praesit, quae officii impedimenta submovens, liberos nos reddat. Haec enim vera demum libertas est, si *bonus* nobis praeëst, qui omnes tuetur et defendit, et gravissima haec est servitus, ubi *malo* sumus subjecti, ejusque malitiae obnoxii, cum licentia efficiat, ut *nullum* dominum agnoscamus, atque omnia adeo vincula solvat, quibus societas inter homines colligari possit.

---

# SECTIO ALTERA.

*Libertatis moralis et civilis natura accuratius exponitur, ex antiquorum Philosophorum placitis.*

## § I.

*Libertatis moralis natura, ex ipso homine ducta apud antiquos, describitur.*

Quae de hominis natura ante strictim disputavimus, jam accuratius ex ipsis antiquorum scriptis, nobis exponenda sunt, quo melius moralis libertatis natura appareat. Philosophi enim antiqui, cum in animo humano varias facultates animadvertissent, ipsum per partes considerare inceperunt, qua tamen in re alii aliter sunt versati. Pythagoras, qui primum hoc esse conatus videtur, duas partes constituit, alteram rationis participem, expertem alteram, in priore ponebat tranquillitatem, id est placidam quietamque constantiam, in altera motus turbidos tum irae, tum cupiditatis, contrarios inimicosque rationi (1). Alii tamen ipsum tres animi partes statuisse affirmant, *τὸ μὲν γάρ τι αὐτᾶς ἔστι λόγισμος, τὸ δὲ θύμωσις, τὸ δὲ ἐπιθυμία* (2), uti Theages dixit; quod eodem

(1) Cicero Tuscul. Quaest. IV. 5. Plutarch. de Placit. Philosoph. IV. 4. p. m. 280.

(2) Theages apud Stobaeum Serm. I. p. 9. Wech.

fortasse modo intelligendum, quo Aristoteles postea in exotericis scriptis duas animi partes, in ceteris tres easdem, quas Pythagoras, statuisse videtur (1). Epicurei deinceps rationalem animi partem distinxerunt (2), quos seriores Stoici sequuti sunt (3), cum priores plures animi partes esse censuerint, memorantes facultates videndi, audiendi, olfaciendi, gustandi, tangendi, loquendi, generandi atque omnium principem rationem (4). Omnium autem maxime animum humanum ejusque naturam Plato cognoscere studuit, et sane acute de illo disputavit; animadvertit enim, a Pythagoreis fortasse proficiens, praeter rationem et cupiditates, tertium quid in animo inesse, quod accurate ab his distinguens, θυμὸν vocavit (5), quem irritabilem animi partem dicere possis, quum vim quasi et impetum ceteris addat, iram Cicero vertit (6). Omnium igitur antiquorum haec una fuit et consentiens vox, rationem principem in animo locum obtinere debere, cui cetera omnia subjecta esse opor-

---

(1) Arist. de Morib. ad Nic. I. 13. p. 12 G. VI. 3. p. F 56. coll. de Anima III. 9. p. 506 F. Krug. Gesch. der Alt. Phil. p. 264 sqq.

(2) Plut. de Plac. Phil. IV. 4. p. 280.

(3) Seneca Epist. 71.

(4) Vid. H. a Krug. l. l. p. 328.

(5) Cl. Heusd. Init. V. III. p. 21-26. p. 105-109. Platonem sequutus est Posidonius. Bake de Posidon. p. 195 sq.

(6) Cicero Quaest. Tusc. I. 10. cf. J. L. W. DE GEER, diatr. l. p. 96.

tet; hae etenim animi partes, utpote a se invicem plane diversae, haud raro ita sibi repugnant, ut discordia inde et seditio quasi in homine existat, atque adeo homo, omni tranquillitate carens, a cupiditatibus agitetur et distrahatur, quae, in majus semper auctae, mox ad quaevis animum adigunt. Optime talem hominem nobis Plato descripsit: Ζῇ δὴ, οἶμαι, ὁ τοιοῦτος μετὰ ταῦτα οὐδὲν μᾶλλον εἰς ἀναγκαίους ἢ μὴ ἀναγκαίους ἡδονὰς ἀναλίσκων καὶ χρήματα καὶ πόνους καὶ διατριβὰς, καὶ λόγον γ᾽ ἀληθῆ οὐ προσδεχόμενος οὐδὲ παριεὶς εἰς τὸ φρούριον (1). Verum alia plane est hominis conditio, si hae animi partes, rite temperatae et in concordiam redactae, secum omnes consentiant, ut pulcherrima hinc exsistat harmonia et, prouti in illo, qui cupiditatibus gratificetur, omni auctoritate destituta ratio est, atque ad hanc ferme delendam τὸ θυμοειδὲς vi sua τὸ ἐπιθυμητικόν juvat ac corroborat, ita in hoc submissae rationi cupiditates sunt, imperat ratio, opemque ei θυμὸς affert ad animum totum recte gubernandum (2). Atque sic ad veram felicitatem pervenire homo potest, et virtutem ipsam colere; sordida enim ejus est vita, ὅταν τὶς ἀσθενὲς φύσει ἔχῃ τὸ τοῦ βελτίςου εἶδος, ὥςε μὴ ἂν δύνασθαι ἄρχειν τῶν ἐν αὐτῷ θρεμμάτων (3). Hic autem, qui rationem sequitur ducem, ille est, qui verissime demum dici

(1) Plato de Republ VIII. p. 561 A-C.
(2) Cf. Heusd. Init. V. III. p. 186 sq.
(3) Vid. Cf Heusd. Init. V. III. p. 176.

*homo liber* possit, quemque omnes imitari, qui libertatis moralis participes esse cupiunt, oportet. Talis scilicet est Socratica illa αὐταρκεία, imo αὐτοκρατεία quam praeclare Plato descripsit, quam diserte expressit Cicero (1), et quam Stoici deinde celebrarunt, qui, cum cupiditates ex homine eximere vellent, hominem ἀπαθῆ reddere studuerunt, ita ut nihil in homine, nisi ratio relinqueretur (2). Quae quidem ratio cum naturae ipsi nimis repugnare videretur, melius deinde alii, imprimis Seneca, hoc intellexerunt, qui, non educo, inquit, sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe, nullum sensum habente, submoveo. Memini ex duabus partibus illum compositum esse, altera est irrationalis, haec mordetur, uritur, dolet, altera rationalis, haec inconcussas opiniones habet, intrepida est et indomita (3).

Hac morali libertate naturâ homo fruitur, quia rationem habet, quam, non nisi sua culpa, cupiditatibus submittit: haec autem optima quaeque praecipit, eoque hominem ducere conatur, quo ipsum vocet officium, ejusque actiones moderans, perfectiorem eum reddere

---

(1) Cicero Tuscul. V. 12. Plato Menex, p. 247 E. citati a Cl. Heusdio l. l. p. 169.

(2) Vid. Krug. gesch. d. alt. ph. P. 335, qui melius de illa ἀπαθεία. existimare videtur quam Cicero; vid loca quae ex ipso adduxit Gedike Ciceronis Hist. phil. ant. p. 254 sqq.

(3) Seneca Epist. 71, p. 542 B.

studet; quod sine dubio Philo, Platonis ille studiosissimus, egregie expressit. uti civitates, inquit, a tyrannis oppressae, serviunt, οὕτω καὶ τῶν ἀνθρώπων, περὶ οἷς μὲν ἂν ὀργὴ καὶ ἐπιθυμία ἢ τι ἄλλο πάθος, ἢ καὶ ἐπίβουλος κακία δυναστεύσῃ, πάντως εἰσὶ δοῦλοι; atque mira est stultitia eorum, qui dicunt σοφοῖς ἀνδράσι τὸν ὀρθὸν λόγον οὐχ ἱκανὸν εἶναι πρὸς μετουσίαν ἐλευθερίας, ὑπακούουσι πάντων, ἅττ' ἂν ἢ προστάττει ἢ ἀπαγορεύει (2). Praeclare vero, atque ita ut Platonem prorsus exprimeret, hanc moralem libertatem descripsit Plutarchus, ubi Nicandrum suum ita alloquitur: Ἀναρχία μὲν γὰρ, ἣν ἔνιοι τῶν νέων ἐλευθερίαν νομίζουσιν ἀπαιδευσίᾳ, χαλεπωτέρους ἐκείνων, τῶν ἐν παισὶ διδασκάλων καὶ παιδαγωγῶν δεσπότας ἐφίστησι, τὰς ἐπιθυμίας, ὥσπερ ἐκ δεσμῶν λυθείσας, καὶ, καθάπερ Ἡρόδοτός φησιν, ἅμα τῷ χιτῶνι συνεκδύεσθαι τὴν αἰδῶ τὰς γυναῖκας, οὕτως ἔνιοι τῶν νέων, ἅμα τῷ τὸ παιδικὸν ἱμάτιον ἀποθέσθαι, συναποθέμενοι τὸ αἰδεῖσθαι καὶ φοβεῖσθαι καὶ λύσαντες τὴν κατασχηματίζουσαν αὐτοὺς περιβολὴν, εὐθὺς ἐμπίμπλανται τῆς ἀναγωγίας (3). Sic animadvertit, quanta mala saepe haec falsa libertatis species procrearet, quae nomine pulchra, revera nil nisi turpem servitutem in animo induceret, et, semel admissa, non nisi difficillime vinceretur. Quis enim semel effusas cupiditates retinere valet? ut felix sit ille, qui vel senectute eo pervenire potuerit: hinc Sophocles, uteretur ne rebus

(1) Philo Jud. Omnem probum liberum esse, p. 872 A-C.

(2) Plutarch. περὶ τοῦ ἀκούειν. V. I. p. 141. W. ([illegible]. p. m. 27.

venereis, rogatus: Εὐφήμει, inquit, ὦ ἄνθρωπε ἐλεύθερος γέγονα, λυττῶντας, καὶ ἀγρίους δεσπότας διὰ τὸ γῆρας, ἀποφύγων (1). Ineruditae enim et rationis expertes animi incitationes atque actiones, exilem quandam et ignobilem voluntatis libertatem, multa cum poenitentia conjunctam, habent. Verum attendamus imprimis, quae jam apud Plutarchum sequuntur: Σὺ δὲ πολλάκις ἀκηκοὼς, sic pergit ad Nicandrum, ὅτι ταὐτόν ἐςι τὸ ἕπεσθαι τῷ θεῷ καὶ τὸ πείθεσθαι τῷ λόγῳ, νόμιζε τὴν εἰς ἄνδρας ἐκ παίδων ἀγωγὴν οὐκ ἀρχῆς εἶναι τοῖς εὖ φρονοῦσι ἀποβολὴν, ἀλλὰ μεταβολὴν ἄρχοντος, ἀντὶ μισθωτοῦ τινος ἢ ἀργυρωνήτου θεῖον ἡγεμόνα τοῦ βίου λαμβάνουσι τὸν λόγον, ᾧ τοὺς ἑπομένους ἄξιόν ἐςι μόνους ἐλευθέρους νομίζειν. Μόνοι γὰρ ἃ δεῖ βούλεσθαι μαθόντες, ὡς βούλονται ζῶσιν (2). Quae sane egregie dicta sunt, sed jam, qui Platonem praecesserant philosophi, hanc moralis libertatis naturam viderunt; Socratem autem imprimis, hac de re cum Euthydemo colloquentem, invenimus. Hunc rogaverat haberetne libertatem pulcherrimum simul et viro dignissimum quid: quod, cum ille affirmasset, Socrates subjungit, ὅςις οὖν ἄρχεται ὑπὸ τῶν διὰ τοῦ σώματος ἡδονῶν, καὶ διὰ ταύτας μὴ δύναται πράττειν τὰ βέλτιςα, νομίζεις τοῦτον ἐλεύθερον εἶναι (3). Memoraverat jam Pytha-

(1) Plutarch. περὶ φιλοπλουτίας. p. 430 med. Frob. cf. Plato de Republ. I. p. 329 C. ibiq. interpp.

(2) Plutarch. περὶ τοῦ ἀκούειν. I. p. 142. Wytt. cf. Cl. Heusdii initia V. III. p. 177.

(3) Xenoph. Memor. IV. 5. § 2-3.

goras τὴν τῆς ψυχῆς ἡμερώσιν (1), quo homo tendere deberet, eoque discipulos suos ducere conatus est:

Ἡνίοχον γνώμην ςήσας καθύπερθεν ἀρίςην (2).

ut rite ita cupiditates suas moderarentur. Nec vero illi tantum ex antiquis, qui honestum et virtutem maxime celebrarunt, cupiditates rationi subjectas voluerunt, ut homo felix liberque fieri possit, verum hi etiam, qui voluptatem summum bonum dicere haud dubitarunt, idem affirmarunt, et Torquatus Epicureus apud Ciceronem, quod si corporis gravioribus morbis, ait, vitae jucunditas impeditur: quanto magis animi morbis impediri necesse est? Animi autem morbi sunt cupiditates immensae et inanes divitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum (3). Omnes igitur antiqui philosophi hanc moralem libertatem una et communi voce celebrarunt, nec mirum; nam, si est quaedam libertas moralis, est haec quam descripsimus, quae eadem in nostra religione describitur, quem consensum animadvertere lubet. Audiamus divinum hujus Auctorem, ἡ ἀληθεία ἐλευθερώσει ὑμᾶς, inquit, καὶ λέγω ὑμῖν,

(1) Vid. Krug. l. l. p. 105.

(2) Aerea Carm. 69. p. 117. cf. Terpstra de Sodal. Pyth. p. 83 sqq.

(3) Cicero de finib. I. 18. cff. de offic. III. 33. Horat. I. Epist. I. 18 et ibi Wieland p. 48. Epistol. Socrat. p. 25. 56. Alatii. Krug. l.l. p. 185. 312.

ὅτι πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν δοῦλος ἐςὶ τῆς ἁμαρτίας (1) atque hanc libertatem celebrare etiam primi sacrorum antistites solebant: ὑμεῖς γὰρ inquiebant ἐπ᾽ ἐλευθερίᾳ ἐκλήθητε ἀδελφοί. ἐλευθερωθέντες δὲ ἀπὸ τῆς ἁμαρτίας, ἐδουλώθητε τῇ δικαιοσύνῃ (2). Quae quis legens, non illius recordatur antiqui effati: *Deo parere libertas est?*

Quam autem jam aliquoties memoravimus moralis libertatis cum virtute conjunctionem, etiam ex antiquis illustrare juvat. Quamvis enim varie de virtute disputaverint, videtur tamen haec magis verborum, quam rerum lis fuisse, et virtus plurimis perfecta in se et ad summum perducta natura, omniumque rerum, quas in animo posuerunt, una res optima dicta fuit (3). Ἀρετὰ, inquit Metopus Pythagoreus, ἐντὶ ἀνθρώπῳ τελείοτας φύσιος ἀνθρώπω· καὶ φανερὸν ὦν, ὅκκα μὲν τὸ λογιςικὸν μέρος τᾶς ψυχᾶς ἐγκρατῆ τῶ ἀλόγω γίνεται καρτερία καὶ ἐγκράτεια· ὅκκα δὲ τὸ μὲν ἡγῆται, τὸ δ᾽ ἕπηται, καὶ ἀμφότερα συμφώνει ἀλλάλοις, τὸ τηνικαῦτα ἀρετά (4). Eadem quoque Platonis sententia fuit, qui homini virtutem tum inesse putavit, cum rite temperatus animus esset; τάξει ἄρα, inquit, τεταγμένον καὶ κεκοσμημένον ἐςὶν ἡ ἀρετὴ ἑκάςου, κόσμος τις ἄρα ἐγγενόμενος ἐν ἑκάςῳ

(1) Johann. Euang. 8: 32, 34. cf. van der Roest leerreden. p. 279 sqq.

(2) Paul. ad Gal. 5; 13. ad Rom. 6: 18. cf. Hugenholtz de cap. 6. Epist. ad Rom. p. 67 et imprimis Cl. Hensdii Socr. School. V. II. p. 159 sqq.

(3) Cicero de Legg. I. 8. Acad. I. 5.

(4) Stobaeus Serm. I. p. 7-8. Wech. apud Gale p. 685 sq.

ὁ ἑκάςου οἰκεῖος, ἀγαθὸν παρέχει ἕκαςον τῶν ὄντων καὶ ἡ ψυχὴ κόσμον ἔχουσα τὸν ἑαυτῆς ἀμείνων τῆς ἀκοσμήτου (1). Tum vero maxime hoc apparet, ubi de justitia agit, quae virtutis est maxima pars, quaeque beneficentiam et liberalitatem complectitur, qua quidem nihil est hominis naturae accommodatius (2). Irae, inquit, et metus, et voluptatis, et omnium omnino cupiditatum in animo tyrannidem, injustitiam esse affirmo (3), ἡ δὲ δικαιοσύνη ὡς ἔοικε τοιοῦτον τὶ ἦν, περὶ τὴν ἐντὸς, ὡς ἀληθῶς πρᾶξιν περὶ ἑαυτὸν καὶ τὰ ἑαυτοῦ, μὴ ἐάσαντα τὰ ἀλλότρια πράττειν ἕκαςον ἐν αὑτῷ, μηδὲ πολυπραγμονεῖν πρὸς ἄλληλα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ γένη (4). Sic veteres eum libertate morali virtutem conjunxerunt; et sane sponte eo pervenerunt, cum enim hominis esse omnes censerent, ut magis magisque perfectum sese reddere conaretur, atque adeo commune esset praeceptum hominem ad Dei similitudinem tendere oportere, tanquam perfectissimum, quod sequeretur exemplar (5), fieri aliter non potuit, quin cupiditates, quas cum belluis homo habet communes, rationi subjiciendas esse statuerent, qua cum Deo sumus cognati. Nam,

(1) Plato Gorgia p. 506 E.

(2) Cicero de offic. I. 7. de finib. V. 23. quod Plato significavit dicens καὶ μὴν περὶ μὲν ἀνθρώπους τὰ προσήκοντα πράττων, δίκαια ἂν πράττοι. Gorg. p. 507 B.

(3) Plato de Legg. IX. p. 863 E - 864 A.

(4) Plato de Republ. IV. p. 443 D-E. cf. Gorg. p. 504. C D. cl. Heusdii Initia V. III. p. 117 sq.

(5) Cl. Heusdii Initia V. III. p. 135. 247 et quam laudat v. cl. disputationem auctore van de Velden.

cum animi partes a se invicem dissideant, sintque divulsae, tum vitium nascitur et inconcinnitas, contra vero, quoties praestantior pars imperabit, atque inferiores paruerint, tum virtus et omnis honestas in toto animo nascitur (1).

Hac ratione antiqui philosophi de morali libertate simpliciter disputarunt, eam ex ipso homine, ejusque naturam declarare studentes: et multum sine dubio eorum disputationes profuerunt, ut homo melius cognosceretur, et illa virtutis felicitatisque principia, quae ipsi inessent, indigarentur accuratius: qua in re, si subtilius sint recentiores versati, laudem tamen acuminis et sagacitatis non solum, sed hanc etiam gloriam, quod in multis primi verum viderint, nemo facile veteribus denegabit.

## § II.

### *De ratione, qua antiqui philosophi et legislatores hominem ad libertatem moralem adducendum esse, censuerunt.*

Quod antea diximus, hominem naturâ libertate frui morali, quia rationis est particeps, non hujusmodi est, ut nullis opus sit remediis, quibus rationis auctoritas vindicetur,

(1) Theagis apud Stobaeum Serm. I. p. 9. Wech. p. 686 apud Gale.

imprimis, cum ratio non nisi paulatim vires suas explicet, ut exercere suum in cupiditates imperium possit. Cum enim cetera animalia brevi, postquam nata sunt, sponte sentiunt naturam suam, nant, volant, currunt; homo contra nil sine doctrina scit, non fari, non ingredi, non vesci, breviterque non aliud naturae sponte, quam flere (1), neque ullum habetur animal, quod tanta difficultate et tam lente ad perfectionem perveniat, non corporis tantum, verum etiam animi; nam, uti Plato dixit, λογισμοῦ δ' ἔνιοι μὲν ἔμοιγε δοκοῦσιν οὐδέποτε μεταλαμβάνειν, οἱ δὲ πόλλοι ὀψὲ πότε (2). Quod dictum non ita intelligendum, ac si homines, ratione expertes, exstare posse censuerit philosophus, verum multos esse significavit, apud quos ratio non exculta sit, et illa, quae animo insunt, semina virtutis torpeant. Semina enim virtutum nostris ingeniis innata sunt, quae si adolescere liceret, ipsa nos ad beatum vitam natura perduceret; nunc autem simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur: ut paene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur (3). Atque omnium honestarum rerum semina, Seneca ait, animi gerunt, quae admonitione exci-

(1) Plinius Hist. Nat. VII. 1. 5.
(2) Plato de Republ. IV. p. 431 B.
(3) Cicero Tusc. Quaest. III. 1.

tantur non aliter, quam scintilla flatu levi adjuta ignem suum explicat (1). Quaecunque igitur homini desint, ea ab educatione ipsi tribuuntur. Cetera enim animalia, cum ad illum perfectionis gradum nunquam adscendant, quo homo assurgere solet, cito suam perfectionem attingunt, vita vero hominis, cum continua sit ad perfectionem progressio, lente admodum procedit, cumque mens facultates ejus corporales regat, physicae illae facultates una cum moralibus explicantur, et ad perfectionem perveniunt. In his igitur viribus rite explicandis et adhibendis educatio versatur, quam hinc duplicem dicere possumus, physicam et moralem, utraque autem sibi propositum habet hominem ita conformare, ut, corporis et animi viribus auctus, suas ipsius actiones ad suam felicitatem regere et instituere possit. Qua propter physica corpus curat, cum id agat moralis, ut animus submotis, quae virtuti acquirendae obstarent, ad hujus cultum et amorem mature fiat aptus et paratus (2), atque tenerum haec et imbecillum hominem excipiens, ita instituere et ordinare debet, ut rationis vires excolantur, deprima-

(1) Seneca Epist. 94. p. 593 A. cf. Cl. Heusdii Initia V. II. T. I. p. 33. 50. V. III. p. 166. Semina homini virtutis innata esse jam Platonis aevo negarunt: vid. Plato de Republ. VII. p. 518 C.

(2) B. van den Velden Comm. de liberorum educat. apud Romanos. p. 10 sqq.

tur cupiditatum vis et homo liber fiat, ita ut ab educatione reliqua tota hominis vita pendeat.

Antiqui philosophi et legislatores egregie viderunt, quanta educationis vis esset, quo factum, ut maximam semper curam habuerint, ne ea corrumperetur: nam omnibus persuasum veteribus erat, ὡς οἵ γε ὀρθῶς πεπαιδευμένοι, σχεδὸν ἀγαθοὶ γίγνονται (1). Cum igitur antiquarum civitatum flos et vigor civium virtute et moribus efficeretur, tanti rem momenti habuerunt educationem juventutis, ut, quae apud recentiores parentum fere arbitrio permittitur educandi ratio, apud antiquos legibus esset definita et descripta, et iis commissa, quos ipsi cives peculiores magistratus elegissent. Ita a teneris jam inde annis pueri ex parentum tutela in reipublicae curam transibant, quae vel publice, quemadmodum solebant Lacedaemonii, eos educabat, vel eos etiam, qui in parentum domibus versabantur, erudiebat et informabat convenienter cum reipublicae principio; ut non vires tantum corporis augerentur, et juvenes milites fierent fortes, sed imprimis, ut cupiditates domarent, et omnia officii virtutisque impedimenta ex animo tollerent (2). Coëgit adeo Lycurgus ἐν τῇ Σπάρτῃ δημοσίᾳ ἄσκειν

---

(1) Plato de Legg. I. p. 644 B.

(2) Cf. Wachsmuth l. l. II. II. p. 3 sqq. de σωφρονίσαις Atheniensium Boeck Staatsh. der Ath. V. I. p. 256.

πάντας ἀρετὰς (1), atque multa in ejus legibus occurrunt hinc explicanda, quae ceteroqui mira videntur (2). Ut autem antiquorum de educatione placita rite intelligamus, illud animadvertere oportet, duabus imprimis rebus ipsam contentam fuisse, musicâ, quae animum spectabat, et gymnasticâ, quae corporis vires exercebat; utraque autem tendebat eo, ut homo φύλαξ ὢν αὐτοῦ ἀγαθὸς, εὔρυθμόν τε καὶ εὐάρμοςον ἑαυτὸν παρέχῃ (3). His artibus educatio absolvebatur, sed musicae etiam nomen multo latius apud eos patuit, et non tantum ad sonorum intervalla et concentus referebatur, sed poesin, literas et omnia complectebatur, quae vulgo dicuntur ad Musarum cultum pertinere, artes omnes et doctrinas elegantiores. Quocirca, quae harum vis est ad animum humanum excolendum, tribuebatur haec Musicae, quippe quae efficaciâ suâ illis veluti aditum in intimos animorum sensus praeberet (4); imprimis cum tam acri sensu pulchri essent Graeci praediti.

Apud Spartanos jam antiquissimo aevo musicae mentio occurrit, quae animos ad leges Lycurgi aptos redderet et proclives. Miserat

(2) Xenoph. de Republ. Laced. c. 10. Hermann Lehrb. p. 67.

(3) Manso Sparta I. 1. p. 155. II. p. 156 sqq. cf. Rötscher op. l. p. 186 sq.

(4) Plato de Republ. III. p. 413 E. VI. p. 503 A. Hermann. Lehrb. p. 263.

(5) Cl. Heusd. apud den Tex de vi Musices p. 111.

ille Thaletem poetam, qui carmina iis ad lyram caneret, ὧν ἀκροώμενοι κατεπραΰνοντο λεληθότως τὰ ἤθη καὶ συνῳκειοῦντο τῷ ζήλῳ τῶν καλῶν ἐκ τῆς ἐπιχωριαζούσης τότε πρὸς ἀλλήλους κακοθυμίας (1). Sed qui quid musica posset ipse viderat, etiam maxime cavit, ne musicae abusu civium animi corrumperentur, et, molles facti, cupiditatibus resistere amplius haud possent. Pariter Athenienses a teneris inde annis musicâ imbuebantur, ut ita rite conformaretur animus. Parentes liberos ad magistrum dimittentes, ait Plato, ἐντέλλονται ἐπιμελεῖσθαι πολὺ μᾶλλον εὐκοσμίας τῶν παίδων ἢ γραμμάτων τε καὶ κιθαρίσεως· iidemque illis poetarum opera legenda praebent, ἐν οἷς πολλαὶ μὲν νουθετήσεις ἔνεισι, πολλαὶ δὲ διέξοδοι καὶ ἔπαινοι καὶ ἐγκώμια παλαιῶν ἄνδρῶν ἀγαθῶν, ἵνα ὁ παῖς ζηλῶν μιμῆται καὶ ὀρέγηται τοιοῦτος γενέσθαι· καὶ τοὺς ῥυθμούς τε καὶ τὰς ἁρμονίας ἀναγκάζουσιν οἰκειοῦσθαι ταῖς ψυχαῖς τῶν παίδων, ἵνα ἡμερώτεροί τε ὦσι, καὶ εὐρυθμότεροι καὶ εὐαρμοστότεροι γιγνόμενοι χρήσιμοι ὦσιν εἰς τὸ λέγειν τε καὶ πράττειν· πᾶς γὰρ ὁ βίος τοῦ ἀνθρώπου εὐρυθμίας τε καὶ εὐαρμοστίας δεῖται (2). Quibus verbis Plato Atheniensium de educatione liberorum sententiam nobis optime descripsit, sed ipse in suis scriptis magis etiam

---

(1) Plut. vit. Lycurg. 4. Manso Sparta I. II. p. 165.

(2) Plato Protag. p. 326 A-B. ubi cf. Stallb. De vi musices vid. Polyb. IV. 20. Arist. Quinct. II. p. 62. Montesq. Esprit des Loix IV. 8. den Tex de vi Musices p. 137. Vere Rötscher. op. l. p. 104. de Graecis: der ἀνὴρ μουσικὸς ist ein solcher, welcher der Kreis der Bildung, der für einen freien Mann gehört, durchlaufen hat; ἄμουσος hingegen, wer alle Bildung entbehrt.

musicae atque gymnasticae vim explicuit. Cum enim, uti in fidibus, sic in animo harmonia adesse debeat, ut omnes partes rite temperatae consentiant, et συμφωνήσωσι τῷ λόγῳ. Erit autem educatio, quae hunc inducat consensum, ἡ μουσικῆς καὶ γυμναστικῆς κρᾶσις σύμφωνα αὐτὰ ποιήσει, τὸ μὲν λογιστικὸν ἐπιτείνουσα καὶ τρέφουσα λόγοις τε καλοῖς καὶ μαθήμασι, τὸ δὲ ἀνιεῖσα, παραμυθουμένη καὶ ἡμεροῦσα ἁρμονίᾳ τε καὶ ῥυθμῷ - καὶ τούτω δὴ οὕτω τραφέντε καὶ ὡς ἀληθῶς τὰ αὑτῶν μαθόντε καὶ παιδευθέντε προστήσετον τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, unde omnis libertas moralis et virtus oritur (1). Sic juvenes, tanquam in sanis salubribusque locis habitantes, ab omni re utilitatem capiunt, et grata quaedam sanitatis aura leniter spirans eos sensim adducit εἰς ὁμοιότητά τε καὶ φιλίαν καὶ συμφωνίαν τῷ καλῷ λόγῳ (2). Quicunque igitur musica rite est institutus, cum sibi, tum civitati plurimum proderit, nec ullo facto verbove inconcinno utens, temperantiam semper et honestatem servabit: verum latius etiam musica Platonis spectabat, atque, ipsam Philosophiam complectebatur, quam Plato τὴν μεγίστην μουσικὴν dixit (3). Et sane nil aptius, quod hominem in libertatem moralem vindicet, Socraticâ et Platonicâ philosophiâ, quae eadem optima est hominis παιδεία. Solebat Socrates omnes ad temperan-

(1) Plato de Republ. IV. p. 442 A.-B. de Legg. II. p. 653 B.

(2) Plato de Republ. III. p. 401 D.

(3) Plato Phaedon. p. 61 A. ubi cf. Wytt. p. 127. den Tex l. l. p. 157. Cl. Heusdii Initia V. I. p. 147 sqq.

tiam et virtutem excitare, iis quam turpe esset cupiditatibus obsequi, ostendere, ut ita ipsos ad optima quaeque duceret. Plato autem philosophiae ope hominem ad veritatem adducere voluit, ut ab hac rerum mutabilium sede ad id, quod reapse bonum, pulchrum et justum est, convertatur, atque ita veram percipiat voluptatem, quam cupiditatibus obtemperans, ne fiugere quidem sibi potest (1). Quae hominis conversio οὐκ ἂν ὀστράκου εἴη περιστροφὴ ἀλλὰ ψυχῆς περιαγωγὴ ἐκ νυκτερινῆς τινὸς ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν τὴν ὄντως οὖσαν, ἣν δὴ ἐπάνοδον φιλοσοφίαν ἀληθῆ φήσομεν εἶναι (2). Hoc efficere disciplinae debent, ut animus ita rite comparetur, et, a sordibus purgatus, ad ipsum verum mente assequendum fiat aptus, atque se totum ad bonum justumque conformare possit tantoque imbuatur hujus amore, ut sponte illud in vitae actionibus referre gestiat et intelligat, quam turpe sit, ab officio et honesto se abduci sinere. Hinc unice intelligitur ars verae institutionis. Τούτου τοίνυν αὐτοῦ τέχνη ἂν εἴη τῆς περιαγωγῆς, τίνα τρόπον ὡς ῥᾷστά τε καὶ ἀνυσιμώτατα μεταστραφήσεται· οὐ τοῦ ἐμποιῆσαι αὐτῷ τὸ ὁρᾶν, ἀλλὰ

(1) Plato de Republ. IX. p. 584 D sqq.

(2) Plato de Republ. VII. p. 521 C. Sic locum constituit Astius. Aliter cl. Bake Biblioth. Crit. Nov. IV. V. p. 37. Stallbaum retinuit vulgata. Posset fortasse legi ἀλλὰ ψυχῆς περιαγωγὴ, ἐκ νυκτερινῆς τινος ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν τὴν τοῦ ὄντος, ἰούσης ἐπάνοδον, ἣν δὴ φίλ. — Cf. Meursius de ludis Gr. p. 47.

ὡς ἔχοντι μὲν αὐτὸ, οὐκ ὀρθῶς δὲ τετραμμένῳ, οὐδὲ βλέποντι οἷ ἔδει, τοῦτο διαμηχανήσασθαι (1).

Sic Plato et universa Graecia de ratione, qua homo in libertatem moralem vindicatur, censuit; musicâ scilicet ejus animum a teneris inde rite esse temperandum, et vires suscitandas rationis educationis ope, ut ita liber evadat: et, quamvis alia plane esset apud Romanos educatio, idem tamen erat, quo maxime ea tendere debuit. Graeci φιλομοῦσοι artibus, philosophiaeque et doctrinis cultioribus operam navabant, cum rudes et bellicosi Romanorum mores essent, qui juvenes statim in lucem hominum ducebant: adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parendo, duces agere dum sequuntur, adsuescerent. Suus cuique parens pro magistro, aut, cui parens non erat, maximus quisque et vetustissimus pro parente, omnem senatorium morem exemplis docebantur (2). Corpus laboribus firmabatur, atque juventus simul laboris ac belli patiens erat, in castris usu militiam discebat, magisque in decoris armis et militaribus equis, quam in scortis atque conviviis lubidinem habebat (3). Docebantur ita sibi imperare et cupiditates coercere, atque ad tem-

(1) Plato de Republ. VII. p. 518 E. cf. Cl. Heusdii Initia V. II. T. III. p. 127 sqq. Ceben. Tabula. p. 228. οὐκοῦν, inquit, τὸ σπουδαίους εἶναι, οὐχ ὁ πλοῦτος ποιεῖ ἀλλὰ ἡ παιδεία.

(2) Plinius VIII. Epist. 14.

(3) Sallust. B. C. c. 7.

perantiam, fortitudinem et omnem virtutem instituebantur.

Ex iis, quae attulimus, nemo non intelligit corrupta educatione nullam salutis viam antiquis civitatibus superfuisse (1), quia ita una cum morali libertate, civium etiam virtus et conjunctio interibat, et cupiditates apud singulos nullâ modestiâ temperatae, etiam toti civitati nocebant, cum leges moresque omnem suam vim amitterent. Et hinc intelligere licet illud veterum dictum: numquam musicae rationem mutari, quin simul leges etiam maxime turbentur (2): nam tum recta evanescit institutio et depravatur civitas, cujus rei exemplum ipsa Atheniensium respublica dedit. Antiquitus in musicis certaminibus judex peritus sententiam proferebat, quum populus tacitus spectaculis interesset, nunc vero, sic Plato narrat, cum omnes poetae populo placere student, totus populus clamore et tumultu, judicium ipse suum profert, ὅθεν δὴ τὰ θέατρα ἐξ ἀφώνων, φωνήεντα ἐγενόντο, νῦν δὲ ἦρξε μὲν ἡμῖν ἐκ μουσικῆς ἡ πάντων εἰς πάντα σοφίας δόξα καὶ ἀνομία (3).

Statuerunt igitur antiqui, ex educatione non hominis tantum, sed totius etiam civitatis felicitatem et salutem pendere, nec ullam rem esse, quae tantae curae esse legislatori et ma-

(1) J. L. W. de Geer, diatr. I. p. 57.

(2) Plato de Republ. IV. p. 424 C. Cicero de Legg. II. 15. Rötscher Arist. und sein Zeitalter p. 188 sqq.

(3) Plato de Legg. III. p. 70. A.

gistratibus debeat, quam ratio, qua juventus excolatur; quibus enim tum animi imbuuntur, difficillime postea elui possunt, et uti, qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam, sic literis talibusque doctrinis ante excoli animus, et ad sapientiam concipiendam imbui et praeparari debet, atque infici iis artibus, quas, si dum est tener combiberit, ad majora veniet paratior (1), tum vero accedit Philosophia, a qua omnium nostrorum vitiorum petenda correctio est, ut liberi aliquando fiamus. O vitae philosophia dux! exclamat Cicero. O virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? Tu inventrix legum, tu magistra morum et disciplinae fuisti, a te opem petimus. Est autem unus dies, bene et ex praeceptis tuis actus, peccanti immortalitati anteponendus (2).

## § III.

### *Libertatis civilis natura et ratio apud antiquos.*

Respicere statim debemus ad antiquarum civitatum naturam, quae *communitates*, κοινωνίαι,

---

(1) Cicero apud Nonium p. 386. de Finib. III. 2. citatus a Ruhnken. ad Timaeum p. 76. Heusdii Cicero φιλοπλ. p. 253.

(2) Cicero Tusc. Quaest. V. 2.

erant, in quibus omnes aequalitatis et communitatis maximo amore flagrabant, et tam arcto conjuncti erant vinculo, ut dictum illud κοινὰ τὰ τῶν φίλων semper obtineret et singuli non sibi viverent, sed civitati, cujus essent partes: ἅμα δὲ, ait Aristoteles, οὐδὲ χρὴ νομίζειν αὐτὸν αὑτοῦ τίνα εἶναι τῶν πολίτων, ἀλλὰ πάντας τῆς πόλεως, μόριον γὰρ ἕκαστος τῆς πόλεως (1). Quisque suam voluntatem voluntati communi prorsus submittebat, quo factum, ut patriam maximo haberent quidem loco, sed summo tamen eam civitatem, cujus cives essent. Cicero. necesse est, inquit, caritate eam praestare, quae reipublicae nomine universis civitas est, dulcis autem non multo secus est ea, quae genuit, quam illa quae excepit. Itaque ego (Arpinum) meam esse patriam numquam negabo, dum illa (Populi Romani civitas), sit major et haec in illa contineatur (2). Atque, cum omnia ratione animoque lustraris, omnium societatum nulla est gravior, nulla carior, quam ea, quae cum republica est unicuique nostrum: cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus (3)? Ex intimo hoc sensu, quo

(1) Aristot. Polit. VIII. 1. p. 1337.

(2) Cicero de Legg. II. 2. cf. interpr. ad l.l. et Cl. Heusdii diatrib. I. p. 48.

(3) Cicero de officiis I. 17. cf. Plato Crito p. 51 A.

se cum civitate universa singuli conjuncti sentiebant, oriebatur maxima inter omnes necessitudo et multiplicia vincula, quibus secum invicem et cum civitate conjuncti erant, ut non tantum suam patriam ab hostibus defenderent, sed ut omnes plane omnibus viverent, nec sibi, sed ceteris civibus, sese natos putarent, patriae, reipublicae uti prodessent. Vivebant antiqui, ut opem suis civibus ferrent, si opus esset, et primum quidem se ipsos, tum vero ceteros etiam verbis factisve, ad virtutem ducerent et adhortarentur, ut omnes ita ad finem magis civitatis accederent, qui est τὸ εὖ ζῆν (1). Unusquisque suis moribus, liberorum educatione, sua virtute eo tendebat, ut tota civitas florere posset, eumque excordem putarunt, qui suum commodum communi saluti praeferret.

Haec antiquarum civitatum natura effecit, ut civibus multa officia incumberent, quae cum erga alios, tum erga ipsam civitatem exsequi debebant, quibus obeundis civilis libertas constabat; quae sane, si ab his impedirentur, aut certe aliorum essent injuriis obnoxii, nulla fuit, quaeque adeo in nulla civitate, nisi in republica obtinere potuit, quae bene esset instituta, ut singulorum voluntas, communi saluti esset postposita. Ubi enim unius jussu

(1) Arist. Politic. I. 2. p. 1252.

omnia fiunt, atque ex ejus nutu omnium sors et fortuna pendet, et ipsius imperio obtemperare tota civitas debet, qualis tum civilis erit libertas? Interit illa, quoties unius voluntas prae lege valet, quae omnium est communis sententia. Ἔγωγε τὸ τυραννεῖν λέγω, ἐξεῖναι πράττειν τοῦτο, ἐν τῇ πόλει, ὃ ἂν δοκῇ αὐτῷ καὶ ἀποκτιννύντι καὶ ἐκβάλλοντι καὶ πάντα πράττοντι κατὰ τὴν αὐτοῦ δόξαν (1). Hinc ortum illud acerrimum tyrannorum odium, qui, si suam auctoritatem retinere vellent, optimos quosque cives necare debebant, et omnes deprimere et ab officiis retinere, quorum princeps erat ut tyrannum, civium dominum tollerent. Qua de re Atheniensium memorabile est decretum, ut si quis Athenis civitatis formam solverit, vel, solutâ formâ, magistratum gesserit, hostis esset civitatis et impune interficeretur, et jurarent omnes: Occidam mea ipse manu, si potero, quicunque Athenis Democratiam solverit, et sacrum hunc equidem existimabo, qui tyrannum occiderit, utpote qui interfecerit hostem Atheniensium (2). Ut igitur viveret tyrannus in antiquis civitatibus animos civium frangere, et metu eos in servitute retinere debuit, omnes interficiens aut expellens, quotquot libertatis studio flagarent, καὶ ἂν γε τινὰς, Plato ait,

---

(1) Plato Gorg. p. 469 C.

(2) Andocid. Orat. Gr. IV. p. 48. Reisk. apud Cl. Heusd. diatrib. laud. p. 85.

ὑποπτεύῃ ἐλεύθερα φρονήματα ἔχοντας μὴ ἐπιτρέψειν αὐτῷ ἄρχειν, ὅπως ἂν τούτους μετὰ προφάσεως ἀπολλύῃ, ἐνδοὺς τοῖς πολεμίοις, τούτων πάντων ἕνεκα ἀνάγκη ἀεὶ τυράννῳ πόλεμον ταράττειν, καὶ ὑπεξαιρεῖν δὴ τούτους πάντας δεῖ τὸν τύραννον, εἰ μέλλει ἄρξειν· ἕως ἂν μήτε φίλων, μήτε ἐχθρῶν λίπῃ μηδένα, ὅτου τὶ ὄφελος. Ὀξέως ἄρα δεῖ ὁρᾷν αὐτὸν τὶς ἀνδρεῖος, τὶς μεγαλόφρων, τὶς φρόνιμος, τὶς πλούσιος· καὶ οὕτως εὐδαίμων ἐςὶν, ὥςε τούτοις ἅπασιν ἀνάγκη αὐτῷ, εἴτε βούλεται, εἴτε μὴ, πολεμίῳ εἶναι, καὶ ἐπιβουλεύειν, ἕως ἂν καθήρῃ τὴν πόλιν (1). Talium tyrannorum exempla haud pauca in Graecorum historia occurrunt, e quibus narrationem de Cypselo et Periandro, Corinthiorum dominis, ex Herodoto adducere juvat. Cypselus igitur, sic ait, Corinthiorum regno potitus, vir fuit ejusmodi: multos in exilium ejecit, multis bona eripuit, sed longe plurimis vitam. Huic successit Periander, initio quidem mitior erat, quam Cypselus, sed ex quo commercium ipsi intercesserat cum Thrasybulo Mileti tyranno, longe Cypselo scelestior evasit. Rogaverat enim hunc, quomodo optime res constitueret et urbem regeret, qui legatum extra urbem duxit, et consitum ingressus agrum, per segetem ambulavit, atque interim mutilavit quamcunque spicam altiorem vidisset praecisasque projecit, donec segetis pulcherrimam et altissimam partem perverterat, et hoc renuntiare Periandro jussit, qui rem intelligens ἐνθαῦτα δὴ πᾶσαν κακότητα ἐξέφαινε

(1) Plato de Republ. VIII. p. 567 A-B.

ἐς τοὺς πολιήτας, ὅσα γὰρ Κύψελος ἀπέλιπε κτείνων τε καὶ διώκων Περίανδρός σφεα ἀπετέλεσεν (1). Non mirum igitur antiquos maxime semper praecavere studuisse, ne talis tyrannus existeret, et ipsorum ne solverentur respublicae, quae omnium aequalitate et legum reverentiâ continebantur. Cognoverunt etenim antiqui tantum δυναστείας et respublicas, quarum illae orientalibus propriae fuerunt, cum Rex omnibus praeesset et ejus voluntas pro lege valeret. Hos βασιλεῖς antiquitus eosdem ac tyrannos habuerunt, sed postea haec ita distinxerunt, ut qui legitime imperarent, reges dicerentur, tyranni contra haberentur, qui potestate essent perpetua in ea civitate, quae libertate usa fuerit (2). Rerum autem publicarum nomine omnes eas regiminis formas dicebant, ubi omnium voluntas legi esset subjecta, nec quis prae aliis valeret, sive totus populus, sive optimi quique hujus legis vindices essent. Ut igitur praeverterent antiqui, ne quis nimiam sibi auctoritatem vindicaret, atque sic tyrannidem adfectans civilem tolleret libertatem, instituta exstiterunt qualia Ostracismus et Petalismus (3) fuerunt, atque

(1) Herod. V. c. 92. cf. Cl. Heusdii diatr. I. p. 64 sqq. de Jough de Philos. Herod. p. 119. Simile quid narrat Livius I. 54. Niebuhr. Röm. Gesch. V. I. p. 545.

(2) Nepos Milt. c. 8 apud Herodotum βασιλεῖς et τύραννοι confunduntur ut et μουναρχοι. Vid. Schweigh. in Lexico Herod. Cl. Heusdii diatribe, I. p. 76. Primus haec rite distinxit Socrates Xenoph. Mem. IV. 6. 12.

(3) Diod. Sicul. XI. 55. p. 445. 86. p. 470 ibiq. Wess. Scaliger ad

Atheniensium saepius reprehensus in maximos viros ingratus animus hinc nascebatur, et rusticus ille, qui Aristidem sese damnare dicebat, quia tam cupide elaborasset, ut praeter ceteros justus appellaretur (1), sine dubio rite intellexit ita sese nimis prae ceteris extulisse Aristidem.

Quo vero meliores essent mores, quoque civium esset major virtus, eo etiam majore odio tyrannos persequutos fuisse antiquos animadvertimus, et, qui mori maluerant Athenienses, quam sese Persis submittere, paucorum deinde dominatum haud aegre tulerunt. Quod, si, quomodo factum sit, quaeritur, imprimis attendenda videtur illa necessitudo, qua, cum universa politica cum ethica, tum civilis libertas cum morali est conjuncta. Uti enim miserrima hominis est conditio ubi dicere cogitur: *video meliora, proboque, deteriora sequor,* quia intus adest, quod ipsum ab officio retrahat, ita sors eorum, qui meliora videntes, male agere coacti, vi ab officio retinentur, haud sane felix est, quum igitur omnibus recti

---

Euseb. p. 50. Rötscher l.l. p. 163 qui: Es ist, inquit, dieses höchst merkwürdige Gericht, was durchaus nicht etwa als Strafe zu nehmen ist, nichts Anderes, als das Schicksal, welches die hervortretende Besonderheit des Subjects erfährt, und wodurch gleichsam die grosze Individualität, sobald sie ihre Arbeit vollbracht, gegen die Substanz wieder verschwindet, in dem sie die Frucht ihrer Individualität genieszen will.

(1) Nepos Arist. c. 1. Plutarch. vit. Arist. c. 7. Epkema de Aristide p. 48.

justique amor inesset atque intima officii persuasio, qualis tum oriri solet, cum rationis vocem audiat homo, multo gravius iis accidere debuit, ab officio prohiberi, quam si ipsi etiam sponte eo inclinarent, ut suis cupiditatibus potius, quam rationi sese permitterent, et facile officium omitterent, ut libere voluptatibus sese tradere possent. Ipsi adeo tyrannis haud raro favebant, quia tum fere libido solutior est; tyrannus enim homo est, a quo impetres, ubi jus, ubi injuria opus sit: est gratiae locus, est beneficio, et irasci et ignoscere potest, inter amicum atque inimicum discrimen novit (1). Hinc factum, ut tyranni semper mores corrumpere studuerint, uti Platonem jam vidimus animadvertentem: idem etiam significavit Aristoteles, cum tria tyranno propria diceret τὰ μὲν ὅπως μὴ πιςεύωσιν ἀλλήλοις, τὰ δὲ ὅπως μὴ δυνῶνται, τὰ δὲ ὅπως μικρὸν φρονῶσιν (2). Quo igitur erant meliores homines, eo tyrannis et magis metuendi et magis invisi esse debent, quia civilem libertatem illi imprimis acerrime vindicant, qui maxime officium perficere avent, hique difficillime sese ab eo abstrahi patiantur. Qua de re exemplo nobis sit Socrates, qui ita ingenue de se narrat: Cum Oligarchia exstitisset, triginta viri me arcessiverunt, et, ut Leontem Salaminium huc

(1) Livius II. 3.
(2) Arist. Polit. V. p. 208. G. Polyb. V. 11. 6.

adducerem mandarunt, ut ipsum interficerent. Tum quidem ostendi mortem me quidem nehili facere, sed illud mihi omnibus modis curae esse, ne quid injusti aut inhonesti facerem, ἐμὲ γὰρ ἐκείνη ἡ ἀρχὴ οὐκ ἐξέπληξεν οὕτως ἰσχυρὰ οὖσα, ὥστε ἄδικόν τι ἐργάσασθαι, sed equidem domum abii (1). Talem virum frustra minis et metu ab eo, quod rectum bonumque intelligit tyrannus abducere conatur (2).

Ex his facile civilis libertatis natura apud antiquos perspicitur, quam tum obtinere censebant, si omnes id, quod debebant, tuto agere possent, nemine impediente aut cogente: qualis antiquarum civitatum optimis temporibus conditio fuit, quum unusquisque ageret, quod vellet; voluit autem semper optimum, quod ipsi tanquam rectum et justum ratio proposuisset (3). Haec igitur civitatis libertas ab omni licentia toto, quod ajunt, coelo distabat, quae bonis moribus, legum observantia, senatus auctoritate, civium aequalitate et conjunctione, tanquam stabili fundamento nitebatur et sola continebat universae reipublicae salutem. Ad hanc tuendam conspirarunt legislatores et prudentissimi quique in civitatibus istis, qui ipsi flagrantes hoc libertatis

---

(1) Plato Apolog. p. 32 C.-D.

(2) Horatius Epist. I. 16. vs. 73 sqq.

(3) Cf. Cl. Heusdii Socrat. Sch. V. II. p. 122. Hüllmann Römische Grundv. p. 384.

ardore, alere eum studuerunt in civium animis (1).

Et sic quidem nostram de libertate disquisitionem ad finem perduximus, qua ipsius naturam ex antiquae politicae principiis, atque antiquorum sapientium effatis cognoscere studuimus! quorum quidem admiramur ingenium, qui multa sane protulerunt, quae, licet gentium conditio sit valde mutata, et alia plane ratione civitatem consideret recentior aetas, vel sic etiam a nostrorum temporum historia comprobata sunt. Atque haec egregie simul valent ad multa explicanda, quae apud recentiores populos locum habuerunt, ut facile intelliget, quicunque illas Europae turbas reputaverit, quae patrum memoria acciderunt; quique etiam illam, quae ab antiquis celebrata fuit libertas politica, nostris adhibuerit temporibus. Nam semper eadem mansit libertatis ratio, et quam antiqui ita expetebant, eadem nunc quoque vera libertas est dicenda. Reliquum vero est, ut jam ad ipsam, quae explicanda fuit, sententiam accedamus: *servi omnes legum sumus, ut liberi esse possimus*, quam tota antiquitas admirata, summum omnis politicae principium habuit, atque unicam civitatibus salutis et floris viam.

---

(1) Cl. Heusdii diatribe l. p. 86.

## De Veterum effato:

## Servi omnes legum sumus, ut liberi esse possimus.

Mirum sane hoc antiquorum dictum videri nobis debet, qui libertatem et leges saepe sibi opponimus, vel saltem illam his coarctari et circumscribi putamus, quia legum nomen tam late apud nos patet, ut omnia jussa, quibus actiones reguntur nostrae, ita dicantur, quod apud antiquos multo secus fuit. Vidimus, quid illi legibus intellexerint. Erat illa justorum et injustorum distinctio, ad illam antiquissimam legem naturae comparata, atque sic leges cum insita homini justi notione et recta ratione conveniebant, e qua ortae erant; et status ille naturalis ibi obtinebat maxime, ubi tales vigerent leges (1). Optime enim perspexerunt veteres, sine legibus nullam exstare posse civitatem, quia multa in hominum animo insunt, quae ab officio ipsum non tantum avocant, verum efficiunt etiam, ut alios abducere conetur, iisque noceat; ut opus sit vi aliqua majore, quae ipsum cohibere et emendare possit, qualis bonis legibus in civitate constituitur, quae bonos admoneant et propugnent, alios, qui cupiditatibus abduci se

(1) Cf. Heusdii Socr. Sch. V. II. p. 105 sq.

passi sunt, in viam reducere conentur. Νόμοι δὲ, Plato inquit, ὡς ἔοικε, οἱ μὲν τῶν χρηςῶν ἀνθρώπων ἕνεκα γίγνονται διδαχῆς χάριν, τοῦ τίνα τροπον ὁμιλοῦντες ἀλλήλοις ἂν φιλοφρόνως οἰκοῖεν· οἱ δὲ, τῶν τὴν παιδείαν διαφυγόντων, ἀτεράμονι χρωμένων τινὶ φύσει, καὶ μηδὲν τεγχθέντων, ὥςε μὴ οὐκ ἐπὶ πᾶσαν ἴεναι κάκην (1). Quid enim? τὸ ἐπανακρέμασθαι καὶ μὴ πᾶν ἐξεῖναι ποιεῖν, ὅ, τι ἂν δόξῃ, συμφέρον ἐςὶν· ἡ γὰρ ἐξουσία τοῦ πράττειν, ὅ, τι ἄν ἐθέλῃ τις, οὐ δύναται φυλάττειν τὸ ἐν ἑκάςῳ τῶν ἀνθρώπων φαῦλον (2). Leges igitur rationi quasi opitulantur, et, quae educationis ope fuisset cupiditatibus praeponenda, jam legibus fulcitur et sustentatur, unde rite arctam necessitudinem efficere licet inter moralem et civilem libertatem in antiquis civitatibus. Ubi enim cupiditates legum vincula perruperunt, nulla salus superest, εἰ δ' ἄνθρωπος εἷς ἢ ὀλιγαρχία τὶς, ἢ καὶ δημοκρατία, ψυχὴν ἔχουσαν ἡδονῶν καὶ ἐπιθυμίων ὀρεγομένην καὶ πληροῦσθαι τούτων δεομένην, ςέγουσαν δὲ οὐδὲν, ἀλλ' ἀνηνύτῳ καὶ ἀπλήςῳ κακῷ νοσήματι ξυνεχομένην, ἄρξει δὴ πόλεως, ἢ τινος ἰδιώτου, καταπατήσας ὁ τοιοῦτος τοὺς νόμους οὐκ ἔςι σωτηρίας μηχανή (3). Vivebant igitur antiqui iisdem studiis, eodem virtutis amore conjuncti sub legum imperio; et, cum jus atque pudor vincula essent civitatum, lex earum erat dominus, quem omnes venerarentur, non servorum instar metu eam suspi-

---

(1) Plato de Legg. IX. p. 880 E.

(2) Aristot. Politic. VI. 4. p. 1318-19.

(3) Plato de Legg. IV. p. 714 B.

cientes, sed tanquam filii, qui patrem amant et colunt, lubenter ipsi obsequentes, οὕτω διανοώμεθα περὶ νόμων, δεῖν γραφῆς γίγνεσθαι ταῖς πόλεσιν, ἐν πατρός τε καὶ μητρὸς σχήμασι, φιλούντων τε καὶ νοῦν ἐχόντων φαίνεσθαι τὰ γεγραμμένα (1). Ad legis tutelam confugiebant omnes, quae illos defenderet, et bonum rectumque semper proponeret omnibus, singulos eo adhortans et sui officii commonefaciens, quod ipsi esset peragendum. Sic leges impedimenta, quae ab officio hominem retinere possent, submovebant, rationi vim addebant, et, uti Telemacho Minerva aderat, ita leges cives tuebantur, si quis eos injuria afficere, aut ad injustum cogere vellet, poenâ afficientes malos, non ut ita factum ulciscerentur aut irae satisfieret, sed ut ipsos ab improbitate reducerent, et redderent meliores. Punitur improbus, ut ait Plato, οὐχ ἕνεκα τοῦ κακουργῆσαι, διδοὺς τὴν δίκην, οὐ γὰρ τὸ γεγονὸς ἀγένητον ἔςαι πότε, τοῦ δ' εἰς τὸν αὖθις ἕνεκα χρόνον, ἢ τὸ παράπαν μισῆσαι τὴν ἀδικίαν, αὐτόν τε καὶ τοὺς ἰδόντας αὐτὸν δικαιούμενον, ἢ λωφῆσαι μέρη πολλὰ τῆς τοιαύτης συμφορᾶς (2). In legibus igitur positum est bonorum praesidium: hae efficiunt, ut tuto vivere possint, suum agentes munus, atque sic leges sunt, quae civilem hominis vindicant libertatem; quare etiam veteres, licet suae libertatis studiosissimi, has civitatum praesides libenter agnoverunt,

(1) Plato de Legg. IX. p. 859 A.

(2) Plato de Legg. XI. p. 934 B.

quae quidem lex, uti ratio hominem, sic totam civitatem administraret, et omnes reprimeret, qui sese prae aliis efferre vellent. Hujus ministri erant magistratus, qui vitam ei et vocem dabant, et ejus jussa exsequebantur. Quo igitur in antiquis civitatibus magis virtus colebatur, et legum erat major reverentia, eo magis libertate fruebantur cives; quare id semper egerunt veteres legislatores, ut summam legum venerationem animis civium injicerent, atque illud iis veteres philosophi praeceperunt, videndum esse ὅπως τοιούτους θήσουσι τοὺς νόμους, οὓς ἑκόντες οἱ δῆμοι καὶ τὰ πλήθη δέξονται (1), atque una fuit et communis antiquitatis vox „ sine legibus nullam esse politicam libertatem.

Prouti antiqui ἐθελοδουλείαν memorarunt, quam amator amasio servit, ut melior fiat, ita probus quisque sese Deo, summo optimoque numini subjicit. Ita quicunque boni civis officio fungi velit, legibus sese submittit, quae, rationi, atque justi sensui consentaneae, ipsum propugnant et defendunt. Quid enim hominem ab aliorum injuriis tutum praestaret, quid vitam ejus, atque bona ab aliorum invasionibus defenderet, nisi leges addessent? Hae si abrogatae fuerint, abeat homo in deserta, cum feris latebras quaerat, nullibi tutus, nullibi erit liber. Sine lege nulla cogitari potest libertas, haec ejus est auctor et funda-

(1) Plato de Legg. III. p. 684 C.

mentum, quae eadem omnibus aequalis et eodem omnes modo excipiens, propugnans, defendens, verae in civitate aequalitatis est vindex, et jus et aequum omnibus tribuens fons est aequitatis. Haec vitam addit civitatibus, quae sine ea corpora essent vita et mente carentia, et id agere jubet, quod sua sponte boni omnes faciunt. Quare Xenocrates rogatus, quid assequerentur ejus discipuli? respondit, ut id sua sponte facerent, quod cogerentur facere legibus (1). Et quid plura dicam de legibus, quae vere ita dici possint? Si quis leges libertati derogare putet, consideret velim recentiorum temporum historiam, et quid patrum memoriâ acciderit. Hoc ipso imprimis tempore gentibus contingit, omnem legum salubrem vim percipere, et libertatis frui bonis, cum talem, qualem nos cognovimus, numquam cognoverunt regiminis formam, et saepius antiquorum respublicae, internis dissidiis et turbis distractae, legum imperium frustra invocarunt, cum huic illive factioni subjectae, ejus voluntati obedirent. Sed firma regiminis forma, quam recentior aetas protulit, et qua omnium in civitate auctoritas aequabiliter est temperata, ita ut factionibus aut ambitioni nullus sit locus relictus, hanc legum vim ad libertatem politicam vindicandam, egregie ostendit. Sic, quod antiqui vere dixerunt, hoc

(1) Cicero de Republ. 1. 2.

nostris temporibus non est falsum: Legum ministri magistratus, legum interpretes judices, legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.

---

Sunt haec, Viri Clarissimi, quae de sententia illa veterum animadvertenda habui, quibus quam multa desint equidem probe intelligo; et vires utinam voluntatem aequassent, sed, vestrae benevolentiae confidens, has vobis studiorum primitias offero, qui non docta ac maxime elaborata a juvene exspectare soletis, sed diligentiae specimina accipere cupitis. Erunt aemuli, qui mihi palmam et honorem praeripient, sed utilitatem hanc mihi numquam extorquebunt, quam ex hac opella me percepisse sentio, numquam auferent jucundam hujus temporis memoriam, quod antiquis legendis impendere licuit, quae studia profecto dulcissimum vitae diverticulum constituunt, ubi minus laeto nos adspiciat vultu fortuna, et curae animum angant. Mecum autem, Viri Clarissimi, bene actum arbitrabor, si e vestro judicio intellexero, mea vobis non plane displicuisse, eritque mihi, qui primum nunc in arenam descenderim, ut alia deinceps melius aggredi coner, acerrimus stimulus.

# ADDENDA ET EMENDANDA.

p. 5. reg. 13. Quam multa Plato e Graecarum civitatum moribus et institutis profecerit, in suis de Republica et de Legibus operibus, nuper demonstravit C. F. Hermann: *Disput. de vestigiis instit. veterum, imprimis Atticorum, per Plat. libr. de Legibus indagandis.* II Programmata. Marburgi 1836, ubi p. 15 scribit: „ Quid, quod ipsa illa reipublicae constituendae fundamenta, quae Legibus cum Civitate communia sunt, a legitimis Graecarum civitatum principiis neutiquam abhorrent, et nihil Plato proposuit, nisi quod optimus quisque in Graecia semper expetierat ac persequutus erat." Cf. p. 18-22.

p. 7. reg. 9. Sententias Philosophorum de nobilitate recenset Welcker. *Prolegomena ad Theognidem*, p. XLIII sqq.

p. 13. not. (1). Cf. Tittmann: *Darstellung der Griechischen Staatsverfassungen.* p. 255 sq. qui p. 21-29. multa talia profert. Ceterum hunc librum demum inspicere licuit, cum mea typis essent jam descripta. De censorum in mores auctoritate, cf. Hüllmann *Römische Grundverfassung* p. 351 sq. Niebuhr *Röm. Geschichte* V. II. p. 449 sq.

p. 20. not. (1). Cf. Tittmann l. l. p. 59-78.

## ADDENDA ET EMENDANDA.

p. 20. not. (2). Cf. Bake V. Cl. *Biblioth. Critica Nova* V. II. p. 233.

p. 25. not. (3). Eadem instituta Plato in libris de Legibus probavit vid Hermann l. l. p. 30.

p. 26. reg. 14. De Platone aliter sensisse videtur Hermann l. l. p. 33. qui tamen, ut verum fatear, mihi non persuasit, nam licet in Platonis operibus multa insint, ex Atheniensium republica petita, magis tamen ipsi Spartanorum instituta placuisse tota probat civitatis, quam in opere de Legibus descripsit, ratio et constitutio, ad illam expressa. Eadem maxime Xenophonti placuit. vid. Schneider Proleg. ad ejus libellum de rep. Athen. p. 88 sqq. Aristoteles suum judicium protulit in Politicorum. L. II. c. 11. p. 1272. cf. Heeren *Ideën* V. II. p. 127 sqq. de Polybio vid. Cl. A. van Goudoever, *de historicis Polyb. laudibus*, p. 85 sqq. num libere suam protulerit tamen Polybius sententiam, dubitare posses, ex ea, quae in alia re monuit Lucas, *über Polybius Darstellung des Aetol. Bundes*, p. 45 sq.

p. 30. not. (4). Egregie hac de re monuit Hüllmann l.l. p. 191.

p. 34. not. (4). Platonem hac fabula *sua* placita explicare voluisse, nullus dubito, licet contrarium videtur statuisse Stallbaum ad h. l. p. 55 sq. Cf. Geel, *Hist. Crit. Soph.* p. 105.

p. 39. not. (5). Cf. Kreenen, *Specim. in Cohortis Sacrae apud Thebanos historiam*, p. 48 sq. Koppius *Hist. reipubl. Boeotorum*, p. 116 sqq. de ratione, qua Demosthenes, excitandis Pudore et φιλοτιμίᾳ, cives ad honesta quaeque incendere studuit, vid. Scholten *de eloquentiae Demosth. charactere*, p. 148 sqq.

p. 44. not. (3). Verba illa ἔμψυχος ὢν ἑαυτῷ λόγος corrupta videntur: Wyttenb. legit ἀνθρώπῳ λόγος. Faehse, *animadv. in Plut. opera*, p. 104, συνὼν ἑκάςῳ λ.: ratio, quae cuique adest. cf. Diogen. Laert. L. VIII. p. 491. Legi fortasse etiam posset ἐν αὐτῷ, ut illud referatur ad praecedens ἄρξοντος.

p. 65. not. (2). Negavit certe Zaleuci et Charondae, quae Stobaeus servavit, prooemia esse genuina, Hermann l. l. p. 21, eaque ad ipsius exemplum a falsariis conficta putat, licet Cicero Platonem ea ante oculos habuisse opinetur, de Legib. II. 6.

p. 67. not. (3). Solonis fragmentum illud apud Bachium *Solonis Ath. carminum quae supersunt*, p. 88 exstat. qui p. 26, ut et Abbing *de laudib. Sol. poeticis*, p. 23, refert ad conditionem Atheniensium civitatis, Solonis legibus nondum instructae, qua in re a viris doctissimis dissentire liceat, cum illud potius referam ad ea poëmata, quibus, ut Plutarchus narrat, γράφων ἐνείδιζε τοῖς Ἀθηναίοις. c. 30. cf. vs. 5.-8, 32-35, in quibus εὐνομία et δυσνομία respicere ad ipsas Solonis leges videntur, atque tota carminis ratio eo tendit, ut admoneat cives, quibus sese malis ipsi tradant, si leges perrumpere pergant.

p. 79. not. (4). „ Nomophylaces Solonis ex legibus praeter Areopagitas nulli sunt." Hermann l. l. p. 38, qui in notis: „ Satis probabile est, Ephialtem, ne una cum Areopagi auctoritate, simul legum curam et respectum sustulisse videretur, hos, quasi custodes legum, instituisse, qui in concionibus assiderent, prospicerentque, ne quid contra leges sciseeretur, qui tamen,

instaurato Areopagitico concilio, interiisse prorsus videntur." Cui conjecturae haud pauci, credo, refragabunt. cff. laud. ab eod. *Handbuch*, p. 279. Tittman l. l. p. 173. 338. Harpocration in voce p. 26.

p. 110. not. (2). Cum hoc Ciceronis loco conferri potest Theognis vs. 699 sqq. Edit. Welcker, atque Graecorum communis fuit sententia:

*Ὕβρις φυτεύει τύραννον.*

Soph. Oed. Rex, vs. 846.

Ceterum plura addere nolo, licet multa deësse mihi sit persuasissimum, idque quotidie magis intelligo. Si enim verum est semper illud: *dies diem docet*, id juvenili aetate est verissimum, sed propterea etiam huic aetati ea venia datur, quam mihi nemo, ut spero, negabit, quamque non tantum argumenti ratione, sed etiam pro vitiis typographicis imploro, quae, cum harum me rerum prorsus imperitum profitear, plura irrepserunt: graviora notasse sufficiat:

| | | | |
|---|---|---|---|
| p. 1. | Prooëmium | *l.* | Prooemium. |
| p. 8. reg. 5. | *πρύμνῆ* | — | *πρύμνη.* |
| p. 9. — 2. | *δικαῖον* | — | *δίκαιον.* |
| —— — 12. | *καθαπερ* | — | *καθάπερ.* |
| p. 15. — 19. | *ζώον* | — | *ζῷον.* |
| p. 23. | § 3. | — | § III. |
| p. 48. reg. 6. | *ὑψίπόδας* | — | *ὑψίποδας.* |
| —— — 10. | *κατακοιμάςει* | — | *κατακοιμάσει.* |
| —— not. 3. | dicanter | — | dicantur. |
| p. 49. not. 3. | VI. | — | V. I. |
| p. 89. reg. 27. | (2) | — | (3). |
| p. 121. — 2. | *ἤψυχ* | — | *ψυχῇ.* |
| —— — 13. | *γήνη* | — | *γένη.* |
| p. 122. — 13. | indigarentur | — | indagarentur. |



